P. VI. N. 14

Eſt Bibliothecæ Abbatiæ
Florentinæ ex dono
P. D. Jo: Bapt. Rota
Veneti.

N.° 4230

15. 5. 153

15 F. 5

ANONYMI
DIALOGI TRES.

ANONYMI
DIALOGI TRES

I
De Conſtantia in adverſis.

I I
De Dignitate tuenda.

I I I
De Amore ergà Rempub-
licam.

Edidit è privatis Schedis

JACOBUS
CANTELLUS

Sereniſſimi Mutinæ Ducis
Geographus.

MUTINÆ, ET PARMÆ,

Typis Joſeph Roſati 1721.
Superiorum Facultate.

Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domino

D. MARCELLO MALPIGHIO

MEDIC. CORYPH.

S.D.N. INNOCENTII XII.

Medico, Cubiculario, & Prælato Domeſtico;

JACOBUS CANTELLUS

S. P. D.

Faſciculum Schedarum, quem Romæ degens à Librario ſoluto pretio receperam, cum recenſerem, folia aliquot inter cætera diverſæ omninò Minervæ, ſitu penè detrita, offendi. Argumentum reperi non injucundum, nec ineptè tractatum. Auctor, qui in Præfatiuncula ſibi ſe affirmat ſcripſiſſe, agit tamen quæ ſpectant ad quædam Ethices, ac Politiæ capita, ità ut uniuſcujuſq; è re queant eſſe. Is quis fuerit,

vel cujas cum ex Libelli lectione fruſtrà curaverim deprehendere, ariolari neglexi. Viſum eſt, cum de hoc Amici optimi, conſulti, ſciviſſent, Libellum ipſum edere, ac tibi inſcribere. Philoſophicum Opus, Philoſophum celeberrimum decebat. Cenſuere quotquot conſului, te, Actuum tuorum chriſtiana Sapientia, quibus de tibi invidis triumphum egiſti, quod Libello fortè deeſſet ſuppleturum Æqui igitur bonique facias munus exiguum, quod in ingens opus evadet, cum tui celeberrimi nominis ſubſidio Orbem impleverit. Vale.

LECTORI, AUCTOR.

Quiſquis hæc fortè fortuna legeriſſe; paucis te volo. Scripſi non tibi, nec cuiquam, ſed mibi. Scribere non docendi conſilium ſuaſit, ſed mibi metipſi opitulandi neceſſitas coegit. Intemperantem proſpera, Philoſophum ærumnæ faciunt. Cum verò mibi metipſi philoſopharer, quæ me juvarent non ex Libris decerpenda, ſed à me ipſo fuerant comparanda. Ipſis adeò, qui mibi hùc illùc peragranti, deerant, libenter carui. Dialogi methodum adhibui, ut Ethopœjæ indulgerem, & faciliùs me tùm infirmum, tùm utcumque à morbo vindicatum, exhiberem. Ne illis, qui mibi offecere, officerem, ſtudui, ac in id meum hìc nomen nullus adſcribo. Cum ſcripſerim mibi, ne iſta

evulgentur curabo. Si tamen quandoq; in publicum prodierint, cum proderint quidquam, & poſt fata gaudebo. Qualis fuerim, qui ſcripſi iſta, tu, qui ea legis, interim ſpecta, nec quis fuerim reſcire cures. Si verò quandoque reſcieris, & Cauſæ prodeſſe poteris, prodeſſe ne renuas. Vale.

DE

DE CONSTANTIA IN ADVERSIS.

DIALOGUS PRIMUS, ANGELIUS. LIBERIUS.

DIfficillimis temporibus, ac atrobiliari morbo, ob quem phlebotomia in talo celebrata fuerat, fatiſcens, cum decumberet Liberius, exantlatis nonnullis diebus, noctibuſq; inſomnibus, placida tandem quies oculos, ac ſenſus, ſub primi gallicinii horam, viſa eſt corripere. At ærumnarum moles ab ægritudinis cauſa pondus mutuata, nil niſi atrox, dirumque dormienti obiiciebat. Hinc Sycophantarum calumniis triſtari, valetudinis periculo horrere, denunciatæ deportationis ignominiam impactam penſitare, actus ſuos ne in claro lumine collocaret impedimenta objecta lamentari. A'quibus quidem per ſomnium eò magis angebatur, quò minus ratio ſui compos argumenta in contrarium regerebat, quibus interdiù, ac vigilans, nonnihil animi, corporiſque ægritudini, opitulari conſueverat. Vix ſemihoræ ſpatium ſomno hujuſmodi di-

menſus fuerat, cum natura quieti ingratiſſimæ vigiliam præferens, terribili cordis palpitatione, ſomnum ipſum excuſſit. Moleſtiam ſubſultantium præcordiorum ut aliquo pacto leniret, conatus ſe à proſtrato decubitu erigere, ac in lectulo reſidere, ſcapulis parieti incumbens, ac omni animi nixu angorem comprimens, ſtetit. Oculis interim clauſis ſomnum ſimulabat, ac vultu, ut dormientis ſpecie ægritudinem falleret, & meliorem quietem, ſi licuiſſet, alliceret. Verùm nil proficiens, tandem de lumine è ſilice excutiendo cogitare cœpit, ut pro more aureo Boetii de philoſophica Conſolatione Libello vacans, moleſtiam falleret, ac Solis ortum opperiretur. Quod cum exequi parat, oculos in eam rem aperiens (mirum dictu) vota occupata, ac lucernam ponè ſe accenſam conſpexit. Mirans, & quì fieri id potuerit recogitans, cubiculumque circumquaque perluſtrans, ſpeciem ad ſui lævam ſedentis Viri offendit, QUI ore ad gravitatem ſimul, ac ad facilitatem compoſito dexteram elevans, pax tibi, ait, Liberi, tu ne me noſti? IPSE verò cum animos ex repentino caſu collegiſſet, equidem noſ-

co reſpondit, quì enim fieri poteſt ut tui oblivifcar, optime ANGELI, qui collatis in me beneficiis invidiam uſq; adeò feciſti, ut te ad Superos evolante, nulla mihi dies illuxerit, quam non nigro theta ſignandam ſenſerim? Ehù Pater quoſque impotentium hominum tricæ progredientur? Tu quòd aptè Rempublicam egeris, quòd optimorum animos rectè factorum vi in te rapueris, quòd à Clavo regendo ineptos, ac indignos removeris, ſceleſtorum ingenium armaſti, qui te obeunte, omnem excæcati cordis rabiem in noſtrum caput vertêre. Quot igitur menti obverſantur clariſſimi tui actus, quibus immortalitatem adeptus es, quot nos angunt iniquorum calumniæ, ob eam, quam in nos exercuiſti facilitatem, tot tui ſpecies animo inſident, quibus vultus, ac ora veneror, & dignoſco. Hæc locutus, ac in lacrymas effuſus ſurgere conabatur ut Senem de genibus veneraretur, & procumbens apprehenſam deoſcularetur manum. At Is dextera humero blandè impoſita juſſit recumberet. Cui cum Liberius morem geſſiſſet tùm obſequio ſvadente, tùm valetudine cogente, nonni-

hil ſubridens, in hunc modum effatus eſt ANGELIUS. Argutum equidem vindictæ genus egiſti Liberi indicia enumerens, quibus me noſti. Verum vix à me te noſſi fateor, quia ab ea vitæ methodo adeò recedis, quam altè animo tuo inſediſſe credideram. Quorſum ergò genus vitæ optimum arripuiſti, quorſum, me teſte, honorum cæteris anxie quæſitorum vanitatem deſpicere ſtuduiſti, quorſum optimarum artium ſtudio te devoviſti? Terge fœmineas lacrymas, vel ſi flere manis animi conſtantiam, à qua decidiſti, defleas velim. Memineris eorum, quæ docuiſti, nec ſemel, quæque didiciſti ex frequenti librorum lectione. Quid enim proderunt tibi tot labores, quibus literarum ſtudiis nomen dediſti; niſi ferendis ærumnis proſint? Hoc unum fœlix, fauſtumque cætera futilia, ac levidenſe ſolatium. Fœlix certè ſi animo excolendo, teq; in libertatem ab affectuum tyrannide vindicando conferat; at ſi nil horum præſtet, ſed tempori terendo tantùm inſerviat, vel hominum opinioni captandæ, ad vanitatum cenſum & illud eſt referendum. Ea ſtudiorum ra-

tio optima, quæ ideò mentem erudit, quò voluntatem rationi obſecundantem efficiat; quod ſi in id colliment ſtudia, ut quis turbæ rumuſculis fruatur, vel commodis, honoribuſve potiatur, abjicienda prorſus ea ſunt, cum ſervum faciant vanitatis, ſtudentem. Primum, quod oportebat te didiciſſe, fuerat, incaſſum labores impendi, ut omnes ærumnæ abſint, optimo conſilio animi conſtantiam ſectari, qui ſe illis ſuperiorem efficit. Stulti hominis eſt niti, ut cuncta avertat adverſa, Sapientis conſilium efficere, ne ſe adverſa lædant. Hæc ille cum edixiſſet, paululum ſubſtitit Liberius, veluti qui non rationum ponderi, ſed Viri auctoritati cederet. Ille verò quod in animo agebatur divinans, ut id omne in ſinum ſuum effunderet, jubere; in id enim ſe adveniſſe teſtabatur, ut dolori ejus ſupperias ferret; nec tamen vulneri medelam conferre ſe poſſe, niſi vulnus ipſum revelaretur. Igitur veniam deprecatus ſi quid liberiùs loqueretur in hunc modum regeſſit LIBERIUS. Optimè quidem pro more tuo, Pater, conſtantiam in adverſis ſuadere conatus es, ne præterita æta-

tis

tis meæ ſtudia vanitatis arguenda veniant. At quis porrò laborum fructus, ſi nefas ſit pro iis honeſtæ quietis mercedem ſectari? Abſit ut gloriolæ ſequar auras, vel dignitates anhelem, à quibus ambiendis (tu noſti) ſemper abhorrui; at illud tandem optare licitè poſſe credidiſſem, quod philoſophicæ contemplationi plurimum confert, à calumniis illatis feriari, ac tutum eſſe à periculis, quæ cæterùm candidam ambientium tunicam conſequuntur. Annè vitio dabitur, ſi quietis, paciſque laboribus plurimis promeritæ loco, cum convitia, graviſſimæque contumeliæ regeruntur, quis juſto dolore, non de commodis ablatis, ſed tantùm de injuria ſibi illata lamentetur? Si patientia plurium annorum ſpatio, ærumnis per nefas illatis læſa, fiat furor, quis furenti juſtè iraſcetur? Ea demùm patienter toleranda ſunt, quæ quis pati valet patienter, at qui fieri poterit ut patienter ferri queat, periculoſa valetudine afflictum, intrà breve trium dierum ſpatium, per iter difficillimum, in ſcopulum deportari? hinc inde interim politicis tricis cirumventum omnibus

nibus ſubſidiis privari, quibus ſuam dignitatem tueatur? quis patientiæ locus, cum mors, quæ aliàs æquo animo toleraretur, eo nomine terribilis evadit, quod defenſioni locum omnem tollit, ac iniquitati triumphum complet? Sed hæc tandem nihili fiant. Tunè Virorum ampliſſime Ppiloſophum decere credideris, ut cum dignitatis ſuæ oblitus fuerit, familiæ item, ac Reipublicæ obliviſcatur? Circumſpice rerum noſtrarum triſtiſſimam faciem. Videſne tot eximiorum hominum, qui nos præceſſere decora, recentiorum vitio peſſundata? In te deſiit ſplendor ille animi, pietatis, ac optimi regiminis, quo nomen ubique noſtrum ſudoribus, ac laboribus partum, uſquequaq; fulgebat. Quanti erit impoſterùm veterem morum diſciplinam, egregiam ſacrorum curam, bonorum ſtudiorum ſedulitatem poſtliminiò revocare? Nec unius Reipublicæ damna deflemus, ſed omnium earum, quæ Alumnos nobis inſtituendos demandabant, quæq; impoſterùm ſapientiæ, morum, ac pietatis, alibi ſeminarium, requirent. Videre eſt non modò tuum venerabile nomen male-

dictis

dictis frequentibus laceſſitum, ſed etiam eorum omnium, qui te duce, ac patrono, uſq; in eam diem, qua ad meliora migraſti, optimorum cenſu habebantur, diriſſimam proſcriptionem, quippequæ eos non modò cogat in alienas ſedes peragrare, ſed in id, omnibus nervis contendat, ut nomen, ac famam laboribus, ac rectè factis partam, impactis impudentiſſimis calumniis commaculet. Hæc eò acerbiora ſunt, quò nullo remedii genere ſanabilia. Video malorum fæcundam ſobolem, quæ mala ex malis futuris temporibus pariat. Eo enim ingenio præditi ſunt qui præſentia peſſimè habent, ut ſibi ſimiles provehant ad avertendam patratæ iniquitatis pœnam. Principiis obſtandum eſſet, & in eam rem iniquitatis radix revellenda, ſed eò res devenit, ut id etiam deſiderare, criminis loco habeatur, & delictorum potiſſimæ cauſæ inſultare, ſit delictum. Abibimus igitur quò iniquitas ſæva nos agit, nec injuriam illatam ſentiemus, nec periculo noſtro occurremus, nec dignitatem noſtram tuebimur, nec Domus noſtræ ruina nos tanget? Ehù quæ

iſ-

iſthæc Philoſophia? Hæc magno animi motu loquentem blando ſermone excepit ANGELIUS. Optimè pro te, optimè pro Domo tua peroraſti Liberi prædilecte. Verùm quid ex peroratione tua conficias, nullus video. Ingentibus malis circundamur; quid inde? animi igitur conſtantia eſt abiicienda? nunquid quòd mala agmine facto in nos ruunt, nos mala malis augebimus animi mœrore tabeſcentes? Quia verò ad triplex caput redigi poſſe videtur doloris tui cauſa; videlicet ad damnum illatum tibi, ád dignitatem tuam calumniis laceſſitam, & ad Reipublicæ incommoda, & peſſundatam morum, ac Ordinis noſtri methodum; age de ſingulis diſſeramus, inſpecturi an tanti hæc omnia ſint ut de iis doleamus, & ſi dolere præſtet, quouſq; nobis ſit dolendum. Primùm igitur mala ea diſpicienda, quæ te immediatè petunt, indè quæ dignitatem tuam, quam ſartam tectam ſervandam non abnuo, in aliud tempus, de amore erga Rempublicam ſermone reſervato. Mala iſtæc ſunt injuriæ illatæ, quies ablata, ignominioſa deportatio, corporis infirma valetudo, quæ

qui-

quidem an mala ſint perpendendum, Inde ſi mala ſunt, an jure de iis doleas. Quod ut aptè fiat, dic age, omnium eorum, quæ naturæ univerſæ nexum conſtituunt, videſne proprias, ac ſingulares affectiones, quæ impleri ament aptis ſibi rebus, & modis, ita quod ſi extranea in id adhibeantur, opera, tempuſque ludatur? Plantæ, quæ creſcere, ac vegetari amat, ſi menſam opiparis cibariis refertam appones, ridebere. Si Bruto ſtercorationem facias, vel eum frequenti irrigatione nutriendum putes, ſtultorum numero cenſeberis. LIBERIUS. Hæc adeò clara ſunt, ut nullus inficias ire queat. ANGELIUS. Nec item inficiaberis mala nulla, talia eſſe, quin obſtent bono cuique naturæ proprio. Ità malum erit Plantæ ſtercoratione, ac irrigatione carere, ac iis omnibus, quæ ſpecificè vegetationem promovent vegetabilium; Bruto verò cibo apto quo ſenſitivum animal nutriatur, ac creſcat. LIBERIUS. Utique. ANGELIUS. Igitur, ut quæ naturæ tuæ mala ſint dignoſcamus, videndum quæ bona ſunt apta eidem. Quod antequam fiat, paululùm immorari lu-

bet

bet eorum meditationi, quæ rationalem naturam cæteris inferioribus præſtantiorem efficiunt; nec enim, quæ ipſi propria ſint bona perſpicere poſſumus, niſi præcognitis ijs, quibus potiſſimùm eminet aliis. De quo ne ambigas illud animadvertendum ſcito, quod ad dignoſcenda bona humanæ naturæ, quatenus cum ipſa inferiores naturæ coæquantur, ſufficit noſſe bona naturis ipſis inferioribus propria. Inde enim colligere eſt hæc porrò naturæ rationalis abſolutè propria dici non poſſe, ſed cæteris communia, ac ideò ea tantummodo talia, quæ naturis inferioribus nullo modo conveniunt. Itaq; eſus, potus, vivere vita animali, dormire, gignere, & his ſimilia rationali naturæ haud ſunt bona abſolutè propria. Reliquum igitur erit, ut tale ſit vita vivere rationali. Hoc tamen haud in eo ſitum eſt, ut quis aliud ex alio eliciat, id enim cum purum putum ſit contemplari, ab ipſa ratione non differt Quarè bonum illud rationalis naturæ proprium, quod rationem ipſam conſequitur; videlicèt actus honeſti, ac convenientes principiis, quæ unumquemque edocet ipſa Ratio. Plura

addere

addere paratum, doloris impatiens excepit. LIBERIUS. Quò tua tendat Oratio, jam video. E media Stoicorum Schola loqueris, qui aptiſſimè Silicem inſtituendum ſuſciperent. Ergonè adeò nexum animi, corporiſque nihili facis, ut ſentias rationem eo tandem modo Corpori dominari, ac ſi ea àb hujus partibus, ac ab humorum ingenio minimè pendeat? Quod ratiocinemur profectò nexus hujuſmodi in cauſa eſt: ergo quod aptè, ac facilè ratiocinemur ob humorum optimam indolem fieri non abnues; quod ineptè, impeditèque ob vitiatam eorundem eucraſiam. Rurſus nullus dubito animi pathematibus humorum ſiſtema corrumpi, ſicut & cæteris, quæ ad ærumnas quoquomodo referuntur. Cum itaque ærumnæ humorum rectæ Indoli officiant ac inde eorum vitiata eucraſia rectam ratiocinationem impediat; quì fiet, ut rerum fœlix eventus rationis non ſit propriè bonum, ſicut & propriè, ejuſdem malum, contraria, videlicet calamitates, immediatè autem infirma corporis valetudo? Cum hominem dicis, non de ſola ratione loqueris, ſed

de

de complexu mentis, ac corporis, ità quod Mens mediis Corporis humoribus operetur, intelligat. Cum ob nimiam ſanguinis efferueſcentiam, vel ob ſpirituum, quos animales vocant, inordinatum motum, vel ob atras hypochondriorum fuligines, cerebri cellulæ tenebreſcunt, & à recta ſui conformatione recedunt, mens fatiſcit, ratio deficit. Perge nunc, & corporis bona animi item bona eſſe inficiare. Ipſe invitus cogor anxius eſſe, licèt collecto agmine rationum earum, quæ tùm ex profanis, tùm maximè ex Sacris Scriptoribus, hauſi, coner irruentium malorum phalanges profligare. Secùs accidit ſedato morbi paroxiſmo, paulatim ſiquidem ſubſidente ſanguinis phlogoſi, quæ cæterùm hypochondriorum fuliginibus commixta, cordis, cerebrique arces impetebat, calamitatibus ferendis, me ferè ſupparem ſentio. Verùm hæc ſanguinis, ſpirituum, humorumq; conſtitutio vitioſa, nonne potiſſimùm à longa ærumnarum pertinacia dependet? conſule Medicorum filios, & audies, quot turbas in nobis animi pathemata cient. Patienter cum hæc audiſſet ANGELIUS, ac Libe-

rius demùm ſileret, dic ſodes, Liberi, ait, rem ſeriò, an ex joco agis? Cauſam tuam conficis, dum curare autumas. Rationes hæ validiſſimæ quidem, ſed quæ tuum dolorem jugulent, ſi ſapis. Audi. Nexus mentis ac corporis, quo totum rationale Animal eſt tale, id demùm efficiat, ut Mens ſuo munere haud fungi valeat; quid tùm? inde ne quis inſœlix? nequaquam. Nec enim inſœlix, niſi qui pondus mali perpendit. Aliàs, & inſœlix habendus eſſet, qui ſomno correptus, nullo modo ratione utitur. Igitur inſœlix tantummodò poteſt eſſe, qui mente non captus; licèt humorum vitiata eucraſia in triſtitiæ, ſeù potiùs in doloris ſenſum urgeat. Quid autem eſt ſui compotem eſſe, niſi vim, ac energiam animi habere, quo viribus humorum occurratur? Vel itaque quis mente non utitur, & ſic inſœlix non eſt, vel mente utitur, ac ſic inſœlicitati ultiò ſuccumbit, cum poſſit media in ægritudine corporis, mente valere. Cum autem animi patehemata ex Medicorum ſcitu rectæ humorum eucraſiæ officere ſtatuis, optimè ſtatuis, at quid inde

con-

conficies? nil, niſi malè ratione uti, ac proinde inſipientium choro cenſendum, qui pathema hujuſmodi, cum præ ratione poſſit, non abiicit. At vide quo circulo utaris? humorum vitiatam eucraſiam pathematibus ortam ſtatuis; rurſus pathemata animi ex humorum indole dependere. Quid horum primò in cauſa turbatum eſt? non ne illud quod efficere valet ne pathemata adſint? vel ſi adſunt, ne officiant? ſeù ſi offecere, ne impoſterùm officiant? Id profectò cauſæ externæ pathematum, ut ſunt omnia ea, quæ ab aliorum voluntate dependent, præſtare nequeunt: igitur remanet, ut id à teipſo tantùm expectari poſſit.. Vide, ſi lubet, quàm luculenter argumentum proſecutus fuerit Chriſoſtomus adſtruens, nullum lædi, niſi à ſeipſo. Quod ut planiùs, ac apertiùs oſtendam, ex tete quid de iis decernendum ſit expecto. Rationis qua homo, homo audit, quænam potiſſimùm utilitas? nonnè libertas? LIBERIUS. Equidem. ANGELIUS. At ratio ipſa, ac libertas electionis non ne id ſunt, quo cœteris animalibus præſtat homo? LIBERIUS. Utique.

que. ANGELIUS. At qui fieri id poteſt, ſi ex eo ſolùm infœlix, quòd rationale Animal, ac liberum? Bruta ſiquidem ratione, ac libertate carentia infœlicia eſſe non poſſunt. LIBERIUS; herclè mihi hæret aqua. Enixè abs te peto, nodum ſolvas hinc enim futurum fore, ut nonnihil lucis affulgeat, mihi videor videre. Age igitur explices, oro. ANGELIUS. Libenter faciam. Verùm ut Syrtes, ac Scopulos evitemus, quibus Oratio impediri aliàs poſſet, animadvertas velim, nos de humana natura agere nullo pacto fœlicitate illa donata, quæ à libertate non pendet; quali potiti fuiſſent, niſi peccaſſent, Protoplaſtæ, ac quali potieris Numine propitio, cum mortale ipſum, quod in te eſt, immortalitate veſtietur: quandoquidem illud ex naturæ rationalis ingenio, haud acceptum fuiſſet, eritve, ſed ex Dei Opt. Max. bonitate. Inſpecta itaque rerum naturalium proprietate, cum Numen ipſum hominem fecit cæteris Animalibus meliorem, ac omnium quotquot creavit præſtantiſſimum, ità comparavit, ut rerum pondus, ac valorem penſitare

poſſet,

poſſet, ſicuti corporalis Orbis Dominum decebat; ac ne penſitatio hujuſmodi ſuperflua foret, inaniſve, ad electionem eorum, quæ homini ipſi convenirent voluit ordinatam. Veruntamen illud haberi nequibat, quin homo ipſe eligere poſſet ex rebus meditatione perpenſis, quod magis liberet, nec rurſus electio hujuſmodi peragi poterat, quin homo cum vellet infœlix eſſe nequiret. Cum ergo ex hominis electione pendeat, ut fœlix ſit, vel infœlix, ſicut quòd fœlix, ità quòd infœlix eſſe poſſit ſi velit, cœteris Animalibus præſtat. Ità qui hæres ex aſſe abſque ſubſtitutione vocatur, ampliori dominio potitur, quàm qui Fideicommiſſo ligatur, licèt prior ad paupertatem ex hæreditatis diſtractione ſemetipſum redigere queat, quod alter nequit. LIBERIUS. Quæ dicis profectò mirabilia ſunt, ſed vera; nec enim in dubium vertam, libertatem, qua cœteris præſtamus ad oppoſita reſpicere. Quod ſi eligere non poſſemus deterius, liberi haud quaquam eſſemus. ANGELIUS. His ità ſtatutis, vide quid indè ſequatur; Sequitur autem, quòd cum rationa-

lis natura corporeis omnibus præſtet quia libertate gaudet, bona ipſi propria, ac mala erunt ea, quæ eligere poteſt, vel reprobare. At cum infœlicitas, vel fœlicitas propterea ſoli rationali naturæ conveniant, infœlix quis eſſe nequibit, vel fœlix, niſi propter ea, quæ à libera ejuſdem electione dependent. LIBERIUS. Cogor equidem hæc fateri cum ex prioribus neceſſario ordine ſequantur. Unum tamen mihi luculentius explicandum peto, quomodo ſcilicet fœlicitas, ac infœlicitas ſoli rationali naturæ conveniat: nec enim ſatis intelligo, quare & irationabilia infœlicia eſſe non poſſint, bonis ſibi propriis cum quandoque careant. Segetes infœlices, cum neceſſario ſucco privantur, ſeù cum grandine, vel procella teruntur quis neget? multò verò magis ſenſibilia cum morbo premuntur Animalia, adactove ad fauces cultro necantur? ANGELIUS. Adde & marmora cum in fruſta ſecantur, ſeù cum ſummis Ædibus deputantur; & ferri ingentes globos, cum ex pyrii pulveris accenſi impetu per aera volitare coguntur. LIBERIUS. Abnuo nè irridear. ANGE-

GELIUS. At nonnè & iſta bonis ſibi propriis privantur? Rem porrò ex dictis ſatis patentem poſtulas explicari. Etenim aliud eſt fœlix, vel infœlix eſſe, aliud, videri. Malum quidem alicui quid eſſe poteſt abſque eo quòd ex tali malo is infœlix evadat. Hæc omnia vera fatebere, ſi inter ipſos homines quoſdam videbis ob eadem gaudere, quibus alii triſtantur. Nonnè malum, ut Satyrici verba adhibeam, *aliena vivere quadra?* Attamen ingenuus Vir triſtabitur, quòd cogatur ſtipem, licèt ſecretò, quærendo vitam traducere, cum tot maleferiatorum myriades indè ità ſibimetipſis complaceant, ut vellent haud ſecus vivere, quamvis liceret. Igitur ex iis Vir ingenuus infœlix eſt, demiſſus animo fœlix ob idem malum. Infœlicitas proindè à malo per ſe non pendet, ſed ab opinione, quam quiſq; habet mali. Qui ergo malum dignoſcere nequit, infœlix eſſe nequit: ac propterea Stirpes, Bruta, & ex ratione præditis dormientes, ac mentecapti infœlicitate carebunt, quamvis omnibus malum accidere poſſit. Sit itaque quod Bruta cum valetudine gravantur, ſivè cum

necantur, infœlicia videantur eorum penſitanti, ac ſi ratione utenti accidiſſet; infœlicia tamen non ſunt ſi aptè loquamur, eſto quod per collationem quandam ad ea, quæ Animali rationali eveniunt, ſpectantibus imponant. LIBERIUS. Rem ſcitè explicaſti, nec quidquam habeo, quod reponam. Sanè modeſtè agis, qui ab Stoicorum placitis, herclè præduris, recedis, quibus malum abſolutè nullum, quique omne repugnans bono indifferens ſtatuunt. Credibilia profectò adſtruis, & quæ proindè ad poſſibilem philoſophiam manuducunt. Licèt autem me ex iis nonnihil luminis adeptum cognoſcam, ac è tenebris evaſiſſe, adhuc tamen nullus video, cur mala, cum mala ſint, ea ut mala cognoſci non debeant ab eo, qui ratione utitur, quæ quidem qui hujuſmodi ut mala dignoſcit, qnomodo triſtari non debeat, ac eſſe infœlix. ANGELIUS. Nunc quæ diximus intellectis, facilè reliqua aſſequeris. Memineris ea propria naturæ rationalis bona eſſe, vel mala, quæ ex ratione, ex libertate, ex electione dependent, cætera eidem nec propriè bona, nec mala eſſe, li-
cèt

cèt aliàs bona, vel mala ſint Animali. Cum itaque quis infœlix eſt, talis eſſe nequit, niſi ob carentiam boni ſibi ut ratione utenti convenientis, liberè electam. Triſtatur ergo nonnemo ob injurias illatas, ob valetudinem, ob deportationem, ob imminens Fatum; Is vere infœlix, ſed non ob hæc cum propria non ſint rationalis naturæ, nec enim ab hominis libera electione dependent. Si ea enim ab ejus libertate penderent, jure ipſi pro illis ſuccenſeri poſſet. Injuriam tamen quis injuriam patienti imputet? infirmam valetudinem quis ægrotanti exprobret? deportationem iniquè imperatam quis deportato obiiciat? ob mortem quis morienti iraſcatur? ob aliud ergo infœlix eſt, quod quidem ab ejus ratione, à libertate, ab electione dependet. Illud quid ſit uno verbo dicam; ipſum triſtari, ac infœlix eſſe. Cum enim poſſit triſtari, ac non triſtari, manifeſtum eſt quod ſi triſtatur, eligit triſtari, cum de cæterò non triſtari valeat. Hæc quouſque vera ſint vide. Affectus animi rationalis, quæ pathemata Græcis audiunt, haud eliminandi ſunt, cum

ſapientiſſimè à Numine ſimus per hos ad maxima Bona præparati, ſed ad normam corrigendi. Præſtant hi quicumque ſint opus ſuum, cum proprium modum ſervant. Inter pathemata hujuſmodi locum quoquè triſtitia obtinet, ac infœlicitas, ſed cum rationi non adverſantur. Tunc autem jurè triſtamur, cum ob carentiam boni à libera voluntate noſtra pendentem triſtamur; tunc verò irrationabiliter, cum triſtamur ob boni carentiam, ſive ob malum, quod à libera voluntate noſtra non pendet. Hinc triſtitiæ primum genus utile eſt, cum ad fœlicitatem manuducat, nec enim quis de malo à ſua voluntate pendente triſtatur, quin de malo abigendo recogitet, poſterius prorſus inutile, cum patientis non ſit malum, vel ab aliena voluntate, vel à rerum viciſſitudine dependens, abigere. Ob crimen patratum cum quis triſtatur, jurè triſtatur, ac infœlix eſt, ſed hæc triſtitia, ac infœlicitas in lætitiam, & in fœlicitatem ſtatim evadet, cum meliorem efficiat eum, quem cepit. Ob ſupplicium in criminis pœnam inflictum qui triſtatur, irratio-

nabiliter triſtatur, nec enim illud à ſontis voluntate dependet, nec triſtitiæ ſubſidio, idem à ſuo capite avertet. Idem dicas, & cum ſupplicium iniquè infligitur, per nefas etenim infligentis, non ſit dependens à voluntate inſontis, qui patitur ſupplicium. LIBERIUS. Licebitnè itaquè triſtari quòd de malo à libera mea electione non dependente, triſtatus ſim? ANGELIUS. Licebit; poſteriori enim triſtitia, priorem excuties, ac melior efficieris; nam triſtari,vel non triſtari de malo à tua electione non dependente, à tua electione dependet, nec fiet ut triſteris de malo, quin malum, ob quod triſtaris non elimines, ſi potis es eliminare. Hinc eò magìs licebit de quibuslibet in Deum, ac in rectam rationis normam admiſſis triſtari, cum mala accidunt à tua voluntate non dependentia (quanta ſiquidem admittimus univerſi, dum vitam agimus!) nam quòd Deo, rectæque rationi morem geras ab arbitrii tui electione dependet, & dum triſtaberis, de moribus tuis rectè inſtituendis cogitabis. Vide quam latè triſtitiæ, ac infœlicitatis pomeria amplificanda cenſeo. Tan-

tùm cave nè de iis triſteris, quæ abs tua electione non pendent. Triſtitia etenim illa reprobatur, per quam non proficis. LIBERIUS. Opportunè quod objicere parabam, diluiſti, nec enim ſatis aſſequebar, quomodò ex chriſtianæ ſanctiſſimæ Legis præſcripto, necnon ex ipſo jure tùm divino, cùm naturæ, de admiſſis piaculis triſtari debeamus, ſi triſtitia in Sapientem non cadit. Nunc optimè video qui fiat illud, ac ſimul novi quid ſit quod hominum ſapientiſſimus Salomon effatus eſt, *tempus ridendi, ac tempus flendi* conſtituens. Video quantò rationabilior ſit chriſtiana Philoſophia præ cæteris Senecæ, Epicteti, aliorumque Gentilium, qui pathemate tot bonis comparandis apto Sapientem privant; ac ſimul quàm ſit periculis plenum, rationale Animal in apathiam duci. Conſtantiam in adverſis, quibus terminis, limitibuſque circumſcribatur dignoſco, nec abnuo præcepta per te tradita ſervare, cum rationis vires non excedant. Hinc mihi videor, nec ærumnis, nec valetudine gravari, quæ licèt mala ſint, leviora tamen ſunt, quam credideram,

ram, cum enim à mea electione non pendeant, carent momento, quo mala hujuſmodi maximè premunt. ANGELIUS. Optimè quòd rem ſis aſſecutus lætor, ac gratulor. Nec tamen malorum pondus, quibus triſtabaris ex eo tantummodo capite minuitur, quòd à tui libertate non pendeant, ſed etiam à plurimis aliis ſi ſingula trutinentur, ut me effecturum promiſeram. Nunc, cum ità demum ſis comparatus, ut meliori fruaris lumine, ſi lubet ea, quibus dolebas feriò meditemur, ut quanta ſint videamus. Duo autem ea in re mihi una oratione adſtruenda ſumo. Primum, gravia illa adeò non eſſe ut videbantur; ſecundum non omninò boni natura privari. Etenim valetudinem, qua æger es, ſi penſitemus, ex iis eſt malis, quæ corporalem naturam conſequuntur. Hæc ideò accidunt, quòd edere, bibere, nutriri expetimus, nam paulatim deperditis ex agentium, ac paſſorum luctâ partibus, ſubrogatiſque vitali, ac animali pugnæ ſimilium auxiliis, impoſſibile eſt poſteriorum motum & figuram, deperditarum motui & figuræ

ità ad amuſſim reſpondere, quin inter ipſa Vitæ caſtra, morbi alicujus civile diſſidium non exoriatur. Quod profectò ut plurimùm occurrens totius animalis Reipublicæ cladi, ipſa natura ſufficit. Quarè accidit paſsìm ut cum morbo cuiquam remediis opitulari curamus, eo ſubſidente, majus aliud deducimus, quo æger tandem occumbit, ſanitate arte comparata naturæ ſaniora conſilia intercipiente. Ex ſe itaq; morbus non eſt malus, quòd à natura expetitur. Sivè igitur humorum tumultus, quibus perturbaris ex particulis auſteris oriantur, quæ è Splenis, Meſenterii, & Pancreatis ſubſtantiis ad Cerebrum, & ad Cor evehantur; ſivè obſtructis viſcerum meatibus, ac diſtentis earundem fibris, fiat nervorum compreſſio, undè ſpirituum motus vel torpeat, vel inordinatus evadat; ſivè tetras evaporationes hypocondria ventriculuſve ipſe, flatibus permixtas, emittant, quibus ſerena animi ſedes tenebreſcat, & caliginibus offundatur; Sivè aliter (nec enim phiſicum agere mens eſt) accidat, illud dubio procul omni conſtat, hæc omnia evenire rerum ſic natura

exi-

exigente. Itaquè mala hujuſmodi, talia ſint oportet tantùm oppoſitis comparata, quatenùs videlicèt conferuntur, vel conferri poſſunt cum optimo humorum, ac ſpirituum ſtatu, in quo hi ſibimetipſis ritè congruunt, & per quem viventes vegetantur, ac nutriuntur. Verùm ex ipſo collationis capite, morborum pondus minuitur. Conferas enim valetudinem tuam, cum tot tantiſque morborum ſpeciebus, quibus plerique quandoque teruntur, ac ipſe fortaſſis tereréris, niſi natura morbo hocce tuo, de quo conquereris, medelam opportunè ſufficeret; difficilè morbum invenies, quo præ iſthoc cruciari eligas, licèt cum univerſi abſunt, tuo te premente, leviores videantur. Pthiſi paulatim tabeſcere, hydrope uſquè ad obitum diſtendi; artritide atrociſſimè uſq; ad oſſium confractionem torqueri; apoplexia motu privari; calculo impediri. Hæc tamen æquo animo cum ſint ferenda Sapienti quantò magis ægritudo tua tibi, quæ nullo remedii genere aptiùs curetur, quàm animi conſtantia, quod quidem abſque ære, abſque Pharmacopola, comparatur, & abſque nauſea,

quinimmò incomparabili cum gaudio, aſſumitur. De Mortis malo eò minùs differendum puto, quò magis rerum ordini eſt neceſſarium. Poteſt quis abſque morbo diù vivere, nequit quandoque non mori. Si quid à noſtra libertate minimè pendet, id maximè Mors eſt. Cum autem omnibus moriendum ſit, qui de morte triſtatur, injuſtè triſtatur, qui ſe ab omnium conditione excipiendum penè velle videtur. Malum inſuper hujuſmodi ità eſt comparatum, ut cæterorum ſit finis, ac remedium. Cum turbaris quòd, ſi accideret, defenſionem dignitatis tuæ præverteret, cogites potiùs hinc tibi fore omne dignitatis tuæ curandæ, debitum adimendum. Infamiam, quam poſt Fata non ſenties, ut modo ſentias, ſtultè ipſe facis. Ad mortis verò malum ſubeundum quot tyrociniis provida nos erudit Natura? Totius Vitæ ſpatium meditare; videbis aſſiduam Mortis ſubeundæ inſtitutionem. Ærumnæ, calamitates, morbi, mala omnia, quibus à teneris unguiculis impetimur, nos morti præparant, qua Corporis vinculis abſolutus Animus, in Numen ipſum, à quo pro-

proceſſit reverſus, mala è ſublimi ſecurus ſpectet. Nec ea tantummodo, quæ cruciant, homini erudiendo ſunt comparata, ſed item illa, quibus ipſe apprimè delectatur, & gaudet. Quid enim magis Mortis neceſſitatem adſtruit, quam eſus, ac potus neceſſitas? quid Mortem futuram meminiſſe docet aptiùs, quàm gignendi poteſtas, qua quiſquis jacturam reparet ſui? Sicut igitur Athleta laborem eò minùs ſentit, quò magis Paleſtræ aſſuevit; ità malum hujuſmodi eò minus malum eſt, quò magis ad illud ſubeundum, naturæ providentia erudimur. Licèt autem omnes erudiantur, magis tamen commodo hujuſmodi fruuntur ægritudinibus obnoxii; quarè cum de valetudine triſtaris, id agis, quod pueri à Ludimagiſtro inſtituendi, ferulæ manum ſubducentes, agunt. Patere, ut intrepidè mortem patiaris, qua pati deſines. LIBERIUS. Ut video, una fidelia utrumq; parietem dealbaſti; ægritudines enim, ærumnas, calumnias, mortem demùm ipſam, non adeò mala eſſe oſtendiſti ut videbantur, ac inſuper optimis bonis commixta, probaſti. Profectò hæc omnia minùs torquent,

quent , cum æquo animo feruntur? Jugum licèt arctum plus lædit repugnantem , quàm tolerantem . Nec eſt quòd verbum addas de ærumnis illatis, de dignitate læſa , de imperata deportatione; nam maximis bonis hæc mala commixta ipſe video . Curis ingratiſſimis minimè poſthac præpediar , quæ ne totus mihi vacarem impediebant ; acta ſi quæ ſunt probè , quæ aliàs nullus edixiſſem , vel calumniis laceſſitus licitè promam ; Deportatus , alibi patriam nanciſcar. ANGELIUS. Vide quantùm brevi profeceris. Gratulor , equidem tibi profectuiq; tuo , qui quantum è re tua ſit futurus , ipſe videbis.

Hæc ultrò citròq; cum dicta , & acta forent , oſtium cubiculi percuſſum , famuli adventum indicavit , Fide propterea redeundi data , Liberium ex dictis , ſatis eruditum , Angelius reliquit .

DE DIGNITATE TUENDA.

DIALOGUS SECUNDUS.

ANGELIUS. LIBERIUS.

Dies Liberio effluxerat minùs anteactis moleſta ; licèt enim nihilò mitiores extitiſſent improborum conatus, animus tamen nil admiſerat, quo infœlix eſſet ſed ſe ad Angelii præſcriptum caſtigaverat. Hinc languor valetudinis aliquantò ſegnior, mentis penetrale ſubierat, quem ut honeſta cura tantò magis excluderet, librariæ ſuppellectilis componendæ amicis operam demandavit, ipſe interim è lecto cartas, quas, Deo ſoſpitatore, ex hoſtium inſidiis vindicaverat, ſibique frequentes apponendas edixerat, ſecernere, ac alia ad iter quamprimùm peragendum ſpectantia, parare. Acceſſerat cæteris ſolatiis res omninò jucunda. Vir etenim pietate, ac æquitate ſuſpiciendus ex inſperatò in id adventaverat, ut Liberium ſibi concedi obtineret, quod, Numine opitulante, Is ab hominibus, quos poſtmodum decreti mutati pœniteret,

niteret, ne improbi nimis viderentur morem gerentibus, impetravit. Quamvis itaq; Morbus ſuaderet aliter, ſequenti die tempeſtivè, ac ſummo mane, cum optimo ſuo Liberatore diſcedendum erat, ac proinde omnibus in eam rem paratis, amicis, paucis quidem ob proſcriptionis metum, ſed iis dulciſſimis, & quibus idem ſortis tenor timebatur, dimiſſis, ipſe ſolus in multam jam noctem accenſa Lucerna, Angelii adventum opperiri. Is tandem affuit; ac cum reſediſſet, eſt in hunc modum exorſus. ANGELIUS. Ut video Liberi Vaſa diſceſſurus collegiſti, licèt nondum à Medico dimiſſus, quid ſic te iter maturare coegit? LIBERIUS. Quod fœlix, fauſtumque ſit, Vir tibi apprimè notus, caſuum meorum miſertus, me aliò deducendum cogitavit, quàm ſævi homines decreverant deportandum. In hanc rem advenit, ac negotio fœlicitate incredibili confectò, ne quid præjudicii afferat mora ſtatim ac nova dies illuxerit, abeundam ſtatuit. ANGELIUS. Novi profectò Virum integrum vitæ, & omnibus numeris abſolutum, ob cujus animi magnitudi-

nem

nem illi ſupparem vix inter noſtros invenias. Maximo Reipublicæ bono ad majorum gentium Magiſtratum, ipſum, dum per me licuit, promovi. Ille tamen qualia pertulerit, optimè te noſſe puto, ità ut ex eo tùm ſubſidium habeas, tùm conſtantiæ exemplar, ac normam. Ità demùm intelliges omnium eſſe adverſa pati; ac ità nos comparatos, ut totius philoſophiæ ſumma in eo ſiſtat, quod adverſis licèt teri poſſimus, non terreamur. Tibi in iſtis ærumnarum Caſtris Tyroni, vide quotuplici ſubſidio adſit Deus, qui non modò ærumnarum exercitum hoſtilem minuat, ſed arma quibus magis horreſcis retundat?
LIBERIUS. Quò tendas ſentio. Arma, quibus maximè terreor, calumniæ ſunt, quibus dignitas, nomenq; meum per ſummum nefas traducitur; quæ certè retunduntur, dum teſtem omni exceptione majorem habeo actuum meorum, qui non modò mihi ſuppetias fert, ſed me deducens, hujuſmodi honore me afficit, qui apud univerſos, impactis calumniis præponderet. Verùm eſt quod reponam. Videris ſiquidem, dum me in his Ca-

ſtris Tyronem dicis, ac ob id hocce ſubſidio Numinis bonitate adjutum, tacitè ſentire Sapientis animum, qui in Conſtantiæ Caſtris ſtipendia veteranus fecerit, nec de dignitatis vulneribus ipſis dolere. Id porrò ab ærumnarum diſpiciendarum cenſu abeſſe juſſeram, qui cogitarem Sapientum omnium Lege, dignitatem cuique curæ eſſe debere, ac Vitæ ipſi præferendam. Ergonè Philoſophicam fœlicitatem tanti emam, ut reus habear eorum, quæ per maximum ſcelus mihi impinguntur? Si fœlicitas iſtæc tua tanti valet, præſtat infœlix eſſe. ANGELIUS. Lentè feſtina Liberii; nec enim ſententiam aſſecutus es. Id ut fiat, hæc ſingillatim lubet perpendere. Quid ſit dignitas, quibuſq; cauſis verè lædatur. Hinc facilè reliquum erit dignoſcere an de ipſius jactura dolendum, quouſq; ac quibus mediis curanda ſit. Dignitatem porrò, opinionem dicimus, qua benè apud homines audimus, ſpectata ordinis, provinciæ demandatæ, cæterorumq; adjunctorum natura. Bonum cuiq; appetendum, at ſuis limitibus finitum, ne ſui amor animo vitii extremum

alterum

alterum propinet. Media itaq; Virtutis via tenenda, ne ſcilicet te dejcias, vel gloriam captes; etenim bonum ſi negligas nomen, demiſſus, ac humilis eris, ſi nimium quæſieris, ſuperbus. Qua in re, cum facillimè ad proximum ambitionis vitium ſpecie vicinæ virtutis pleriq; trahamur, ne decipiaris illud curandum ſcito, ut Virtutem, virtutis ipſius amore ſequaris, paratus ſequi, etiam ſi de dignitate ſervanda ſpes nulla affulgeat, nec per te, ipſi periclitanti occurrere liceat. Verùm de hoc aliàs. Illud modò ex te ſcire velim, an putes dignitatem, quæ cordi eſſe debet ingenuo, proboq; Viro, ne in vilem, humilemq; degeneret, à cujuſvis hominis opinione dependere. LIBERIUS. Hæreo ſtatim. Videtur etenim ampliori bono frui, qui à pluribus indiſcretè laudatur, & maximè, qui ab omnibus, potiſſimùm, cum qui laudatur ex publico quopiam munere laudem cepit. Rurſus cum Vulgi opinio ſit maximè fallax, quippe Vulgus ſuo ſenſu, nec rebus benè perpenſis, ducatur; item cum qui verè ſapiant perpauci numerentur, ac de cæterò inſipientium, &

ma-

malorum hominum ſententia nil conferat ad veræ laudis naturam, paucorum exiſtimatio præferenda videtur. ANGELIUS. Ut nodum quo detineris ſolvas, alterum fortè ſolubiliorem accipe. Putaſne fieri poſſe, ut ipſa malorum hominum convicia,ad cujuſquam dignitatem quandoq; conferãt? LIBERIUS. Equidem; ſicut è contrario, quod quis à ſceleſtis laudetur, dignitati laudati infamiæ notam ſuffundi. ANGELIUS. Ejus rei rationem affers nullam? LIBERIUS. Patet ex ipſius laudantis, ac laudati natura, nec enim fieri poteſt, ut quis alterum laudet, niſi laus alterius in ſui bonum aliquo modo cedat. Quì verò fiet, ut avarus è re ſua putet liberalem commendari, cum liberalitatis laus, avaritiæ ſit accuſatio. Hinc cum quis ab iniquo laudatur, iniquo ſimilis ne habeatur, timeat neceſſe eſt, & è contra ab eo diſſimilis apud pleroſq; audiet, qui ab injuſto contemnitur. ANGELIUS. Optimè reſpondiſti. At unum ſupereſt adhuc, de quo te interrogem. An videlicet qui laudatur, vel accuſatur, dignus laude, vel cenſura verè habeatur ſem-

per

per ab eo, qui laudat, vel cenſorem agit. LIBERIUS. Ehu, bone Deus, quis non videt quantum in hocce negotio veritate neglecta gratia, ac odium ſibi vindicent? Mendacii omnia plena; laus enim, vel vituperium pendet à ſpe, vel à timore laudantis. Qui nec prodeſſe, nec obeſſe poteſt laudabitur fortaſſe ſi probus ſit, uſq; dum potens obeſſe illi non ſit infenſus, tunc etenim, qui paulo ante laudaverat, mox conviciabitur. Rurſus improbus, quò magis ſpem laudanti, & timorem vituperanti faciet, eò magis laudabitur. Quod ſi quandoq: ſpes abſit, ac timor, veritati demùm litabitur. Qua in re eò ventum eſt, ut hoc mendacii genus virtutis loco habeatur; veritas verò etiam interrogationibus elicita, quæq; proinde ſilentio eludi nequeat, tamquam grave in civilem prudentiam peccatum, vapulet. Schedulæ quandoq; circum ſunt latæ mendaciis putidiſſimis refertæ, ut ſacramenti tremendo adminiculo ſubſcriberētur. Cum pauci id præſtare renuiſſent, conviciis ſunt à cæteris laceſſiti non ex alio capite [qui enim pejeraverant ſcripto, falſa omnia fatebantur] quàm

quod

civiles, quibus gloria, vel infamia pa-
ritur, eodem fato ſint obnoxiæ, qui-
bus, picturæ. Videbis, nec rarò,
exempla è Tabulis perpolitè depictis
per celeberimos Artifices Titianum,
puta, Urbinatem Raphaelem, Co-
riggium, Caraccios, & hujuſmodi,
pro Autographis laudari adeò fre-
quenter, ut ſi quis emunctæ naris
ſecùs autumet, ne hiſcere quidem au-
deat, vel quia Principis cujuſpiam ce-
lebrem Aulam ſortita, intèr alias in-
dubitatæ fidei picturas ſint collocata,
vel quòd parergis auro gemmiſque di-
ſtinctis muniantur, vel ob judicium
Viri ea in re peritiſſimi, qui fortè
Heri gratiam per Tabulæ exhibitæ
laudem captaverit. Novi ipſe Nu-
miſma (idem etenim evenit in huju-
ſmodi Autiquariorum deliciis] affabrè
à recenti Artifice fictum, de cujus ſin-
ceritate vix auſi ſententiam meam lo-
qui, quòd communi calculo legitimum
haberetur, & egregii Viri Cimelio ad-
ſcriptum. Proindè rogatus in id aliqua
ſcribere, quæ dixi, ita temperavi, ut
veritatem promerem cautè, & nil pu-
blicæ opinioni detraherem. Pari diſcri-
mine actus humani ſæpius aguntur.
Aver-

Avertat Deus ne à viro dignitate prædito, earum potiſſimùm, quæ in Religionem veniunt, quidpiam mali de quopiam evulgetur. Quanti ponderis mendacium erit, etiam apud probos, quibus præconcepta de dignitate opinio perniciosè imponet? Feſtivum illud eſt, quod aliquando Virum, qui Vitam Aulæ ſerviens triverat, narrantem audivi de homine qui, cum ab Hero ſupplex petiiſſet, ut ſibi commendatitiis Epiſtolis munus quoddam conferri juberet, & Herus repoſuiſſet ſe impediri quominùs commendationis gratiam impertiretur, quòd munus optatum Doctoratus, ut vocant, gradum prærequireret in commendato, regeſſit, commendationem ipſam ſemet poſſe Doctorem efficere, ſi quidem id Herus vellet. Equidem optimis etiam Viris Dignitas laudantis, vel vituperantis imponit, ut tandem pleniſſimæ probationis loco obtineat Pithagoreorum illud; *ipſe dixit*. ANGELIUS. Rem acu, ut ajunt, tetigiſti. Verùm illud addendum erat parerga hujuſmodi graduum, munerum, honorum in Republica, Vulgo uſque adeò fucum facere, ut ipſum muneribus inſignem,

per-

perſonarum exhibeant. Illud apud graviſſimos Viros pro certo habetur, honores graduum, haud Virtutis argumentum eſſe cum nullus neſciat, quantum captandis, ac obtinendis illis, valeat favor, obſequium præſtitum, ac, utinam non, pecunia. Nihilominus indignus quiſque munus nanciſcatur; ſtatim pro digniſſimo habebitur. Pro feſtiva narratiuncula, alteram accipe feſtiviorem. Per plures Annos quidam ex noſtris nullum non lapidem moverat, ut ad Magiſtratus apicem promoveretur. Is quidem cæteris ad id honoris promerendum aptis penè deſtituebatur, verùm laudis merebatur nonnihil, quòd ſe litterarum præſidio haud illuſtrem, cognoſceret, ac ultrò lubens fateretur. Nec tamen à Magiſtratu petendo abſtinuit, donec per avia, devia, cum Vitam ad infœlicem uſque ſeneſtam tranſegiſſet, peſſimo hujuſmodi curæ genere conſumptus, voti compos factus tandem proceſſit. Nuntius muneris in eum collati cum perveniſſet, acceſſerunt quotquot aderant, ut ob honorem homini gratularentur; quos omnes Is ridenti fronte excipiens, ac incompoſitè ſatis ſubſul-

tans, exilienſque, gaudeamus, ait, hodiè ſiquidem doctiſſimus evaſi, ac omniſcius, qui ante hac analphabetus fueram. Riſerunt omnes hominis levitatem, at, cum cætera Magiſtratui propria deeſſent, de ipſius ingenuitate ſibimetipſis ſunt gratulati, qui ultrò ſui inſcitiam fateri haud detrectaret, licèt frequenti exemplo ductus huic muneris adepti ſubſidio ſuppleri poſſe ſperaret. Quod de literarum tamen eruditione effatus eſt, poterat æquè, ac de ceteris animi dotibus, fari; adeò conſtat honoribus, veritati perſonam, adiici. Hinc facilè patet, quàm exiguo labore optimam de ſe opinionem adipiſcantur, qui munere pollent, quàm ingenti, qui nullo, & quantò faciliùs in criminis admiſſi infamiam impingat Is, quàm ille. Rurſus id faciliùs, ac majori periculo huic evenire, cum dignitate perſonatus, in alterius hujuſmodi perſona ſpoliati famam, debacchatur. Si quis Potens, Dives, dignitate quapiam inſignitus, laudatur, cuncti, maximè verò optimi, libenter, laudes hujuſmodi ratas habent; cum autem commendabilis ex ſola animi Virtute à præpotente contemnitur,

qui

qui Virtute præditum intus, ac in cute non norunt, contemnenti fidem adhibent, qui verò noverunt vix quidquam in veritatis obſequium hiſcere audent, ne Virum munere venerabilem, tamquam iniquè obloquentem deſpicere videantur. Rebus etenim ità ſe habentibus, Hierarchiæ potiùs, quam probi Viri dignitati conſulendum exiſtimatur, cui nonnihil offici poſſit, ſi Vir Magiſtratu auctus, mendax compareat. Veritatem ideò nudam finxere Iconologi, quoniam cum de cujuſpiam fama agitur quæſtio, qui criſi ſubiicitur, ab eo qui criſi vacat, omni parergo ſpolietur, opportet, ac ipſe ſemetipſum à præconceptis opinionibus exuat Judex. Paucorum nihilominus cum ſit ſe in hunc modum comparare, hinc fit, quòd ut plurimùm mendacium pro veritate obtinet, profurſque indignus paſsìm publicam opinionem naſciſcitur, innocens, ſceleriſque purus, contemptum patitur, & vapulat maledicorum, & proborum linguis. Indè illa Rerumpublicarum peſtis, & illud pſeudopolitices dogma, quo per fas, ac nefas potentiam, dignitatem, honores, divitias, ſceleſta quandoq; Capita diris

omnibus devovenda, captant, ſiſi, quòd ſi ſemel conatus, quamvis illiciti, benè cedent, metæ fulgor, ſceleribus, è carceribus ad curſus finem uſque deductis, nubes offundet, & mox laudabitur, qui meritò ſugillabatur conviciis. Cæſar cum Patriæ libertatem evertit, quia pro voto facinus ceſſit, laudatur, Catilina quòd auſus immane, ſed idem nefas, auſo non ſit potitus, peſſimè audit. Si Cæſari Catilinæ ſors accidiſſet, & Catilinæ Cæſaris, profectò inter ſe etiam, infamiæ, laudiſque vices commutaſſent. LIBERIUS. Quæ uſque modo diſſeruimus videntur adſtruere, pſeudopoliticorum hujuſmodi, Regulæ dandam eſſe operam. Siquidem, cum bonum apprimè expetendum ſit opinio, quæ apud optimos etiam Viros obtinet, ut ejus demùm potiamur, brevior Via, quam ingredi poſſumus ea eſt, quæ citiùs, non quæ ſaniùs ad opes, ad gradus & ad Magiſtratus apicem, quamvis per ſalebras, ideſt per fas, & nefas, perducit. ANGELIUS. Apagè ſtulta, ſi feriò loqueris. LIBERIUS. Abſit, ſed hæc ex illorum mente regeſſi, qui ſpecie boni fallun-

tur.

tur. ANGELIUS. Falluntur herclè. Opinio enim furfuris hujus, nullo modo prodeſt laudato, maximè verò Reipublicæ obeſt. Dic age, quid tibi proderit, cum omnium calculo ſis optimus, ſi tu tibimetipſi ſis peſſimus? rurſus quid officiet, ſi cunctorum ſententia peſſimus habearis, teſtis autem factorum tuorum conſcientia te laudet? Præterea, ſciſne quouſque optima de hujuſmodi homine obtinebit opinio? cum maximè, ad obitum uſque. Tunc verò remotis Laruis fœda malefactorum facies apparebit. Nero, Cajus, Commodus, ac cæteræ Romanæ dignitatis peſtes, noſtin' quibus diris poſt Mortem ſint devoti, qui dum viverent divinis honoribus, ac Patrum Patriæ titulo, colebantur? Id autem qui recogitat impius [nec fieri poteſt quin recogitet] inter univerſos Orbis plauſus de infamia poſt Fata futura triſtatur, immò & de preſenti. Etenim ſibi conſcius, quàm procul à Virtute receſſerit, & quibus ſceleribus polluatur, jure timeat oportet, ne publicæ laudis ſpecies privata convicia tegat. Nimis ſibi nota ſunt ſua; proinde vix credet laudanti, ac potiori jure uni-

verſos ſe velle decipere, quàm à ſe decipi, tandem cognoſcet. Larua igitur bonæ famæ potiùs hæc eſt dicenda, quàm Fama. Detrahet hanc veritatis parens Tempus. Paulatim ſe prodet fucatum ſcelus. Boni probique Viri optimè de hujuſmodi Capite ſentiunt, quouſq; illud ex dignitatis trabea metiuntur; ſi intimè noverint, malè ſentient. Laus demùm, quæ ex intimis Cordis penetralibus primitùs deducebatur, tandem vix frigida labia laudantis in ſui cauſam agnoſcet, Laudaverant ex præconcepta muneris opinione, quem integrum putavere; laudant nunc ob imminens malum, à quo ſibi timent. LIBERIUS. Cum eadem oppoſitorum ſit ratio, idem accidet ſubſidiis omnibus deſtituto, ac publica infamia contra jus faſq; laboranti. Is enim ſolatio conſcientię ſuæ fruetur, de futura ſaltem poſt obitum nominis dignitate gaudebit, & apud probos tandiù malus habebitur, quandiù ipſis non benè notus, Veritas verò in claram lucem paulatim evadet, quam ſi qui gratiæ, vel timoris cauſa diſſimulabunt, qui tamen oderint, rabie, ac invidia diſcerpentur, qui verò

ama-

amaverint, illam temporis opportunitate revelabunt. ANGELIUS. Optimè ſentis. Nunc verò colligenda ſunt Vela. Ex dictis etenim patere arbitror, quibus nam cauſis dignitas lædatur, eaſq; potiſſimùm binas eſſe. Unam videlicè, quæ dignitatis intrinſecam rationem offendit, actus ſcilicet cenſore dignos, ex quibus tamquam ex naturali ſcatebra infamia fluit; alteram ad extrinſecam ſpectans, videlicet Proborum opinionem, qui intimè infamia laborantem norunt. Ex quo conficitur dignitatis curam, quæ Sapientem decet, duobus ſiſtere, ut videlicet Is actus ſuos ità componat, quò ſanam æqui Cenſoris criſim ſubire non vereatur; ac ut Probos aliàs de ſe malè ſentientes, ex præconceptis opinionibus deceptos, de actibus ſuis, ſincerè, & abſque fuco, prout res ferunt, edoceat. LIBERIUS. Vix quidquam addendum reor ad explicandum quod promiſeras, quouſque videlicet de dignitatis jactura dolendum ſit. Videtur enim conſequi, dolendum eſſe cum actus noſtri à rectæ rationis norma recedunt, & cum Probi Viri qui nos benè non noverint, impactis calumniis

ſidem decepti adhibent. ANGELIUS. Recole quæ externo Sermone proſecuti ſumus: agnoſces probè unum per te ex dictis elici, aliud ſecùs. Doleas de rectè non factis, id enim ad veram fœlicitatem conferet; at de Proborum opinione dolere haud licèt, cum id te meliorem per ſe efficere nequeat, & cum illorum opinio à tua voluntate non pendeat. Falleris autem in eo, quòd te dolere poſſe arbitraris; quia curandum dixi, ut Probos de te malè ſentientes, veritatem actuum tuorum doceas. At vide id ſine animi anxietate, ſine affectuum ſtrepitu, curandum eſſe; aliàs quid boni tibi ex hac cura? nil prorſus; immò quietis paciſq; atrox pernicies, ac maximum omnium malum, recedendi à moderati animi tenore, quem ratione præditum Animal inconcuſſum ſervare debet. Cura itaq; hujuſmodi ſit minimè turbida, impatienſue; quippe quæ in eum finem inſtituta, ut naturæ morem blandè geras, quæ dignitatem curandam præcipit. Quod ſi pro voto res ceſſerit, gaudeas te optimè provinciæ à natura demandatæ reſpondiſſe; ſin minùs, nihilominus æquo ſis animo. Etenim

præterquam quòd per te non ſtetit quin veritas pateret, tempus ipſum perficiet incœptum opus. Quoſdam Plantarum fructus novimus, quos ſuperveniens pruina impedit, quominus ad abſolutam maturitatem, è ramo pendentes, perducantur. Id tamen tempori committitur, quod ipſos apto loco repoſitos, perficit. Cura perinde, quæ dignitati apud Probos læſæ, reparandæ, impenditur, minimè ſæpè ſæpiùs opus ſuum perficit intercedente aliqua ex præconceptis opinionibus, quas in ſuperioribus enumeravimus, ob quam mendacium quòd ſit, ut ità dicam, inſulatum., præ veritate evidenter exhibita, fidem invenit. Verùm cum Teſta, quo diù imbuta eſt, ſervet, ac reddat odorem, ſe prodet paulatim Sycophantarum ingenium, & Trabeæ larua detrahetur. Illud tantummodo cura, quòd actuum tuorum ſemina ſint ſana, reliquum tempori committe; fiet enim ut in opiparam meſſem germinent famæ, te interim nihil de fructu hujuſmodi inde acceſſuro, recogitante. LIBERIUS. Rem ex præterito Sermone facilè aſſequor; unum tamen eſt quod quidem nego-

tium facit. Novi potentiſſimum ad vitam rectè inſtituendam remedium eſſe, timorem ne dignitatis noſtræ jactura fiat apud Probos. Igitur ſi peractis, quæ per me præſtare licuit, ut eos à præconceptis opinionibus liberarem, re infecta, nil poſthàc de infamia curem tollenda, maximo ſubſidio deſtituar ad Vitam rectæ rationi conformandam. ANGELIUS. Aptè juxtà verborum proprietatem, ſubſidii nomen uſurpaſti, etenim ſi ſubſidio non egeas, nihili facienda erit ejuſdem jacturæ. Præterea memineris, dignitatis intrinſecam rationem actus cujuſq; probos, conſtituere, qui extrinſecæ, laudis videlicet, ac opinionis apud Optimos in cauſa ſunt. Itaq; ſi actus tuos cures, curabis quod præcipuum habet ſubſidii hujuſmodi genus. Exrinſeco etiam occurres, cum navata diligenter opera ut mendaciorum nubes elimines, quod reliquum eſt ad opus perficiendum, tempori commites optimo Veritatis parenti. Neque igitur putes me dignitatis curam abiiciendam ſuadere, cum tempori commitendam dico. Pater dulciſſimi Filii ægritudinem curat, cum Medicum accerſit, ipſe interim

fami-

familiaribus, ac publicis negotiis vacans. Peccaret, ſi ipſe ſchedulas remediorum ſcribere auderet, vel pharmaca propinare. Ità præpoſteram dignitatis tuæ curam præſtares, ſi quod ſoli tempori tribuitur, id ipſe irrito, ac ridendo conatu, efficere ſtuderes. LIBERIUS. Magno mihi ſolatio ſunt hæc; quandoquidem facilè mihimetipſi occurro obiicienti, quid ſentire debeam de Vulgi ſiniſtra opinione, quam offendam, ſi peracto quod meum erat, ulteriorem veritatis revelandæ curam tempori committam. Nec enim ullo loco habendum eſſe Vulgi Judicium arbitror; & tùm cum mihi conſcius ſim id egiſſe quod per me licebat, ſperandum cenſeo ut tempus ipſum ſilentii conſilium tandem revelet. ANGELIUS. Ità prorſus. LIBERIUS. Sit igitur quod dicebamus. Nunc illud diſquirere operæ prætium, eſt an ſi ex impactis calumniis nonnullæ vix dilui poſſint, abſque eo quòd majus immineat malum; ipſe, apud Probos infamiam inique factam per ipſos ejus delicti Reos, de quo mihi ſuccenſeri audio, tolerare ſilentio, ac pati debeam, interim aliis occurrens, quæ abſq; periculo

dilui queunt? Ipſe ſiquidem, ut benè noſti, in haſce anguſtias conjectus ſum, ut princeps crimen de quo inſimulor, ipſum ſit, quod qui validiùs criminatur, admiſit; de eo autem vix hiſcere queo quin in cauſa implicem negotia periculis plena, quæq; majorum gentium res tangunt. ANGELIUS. Silentio tibi opus eſt, nec tamen inde in dignitatis tuæ curam peccabis. Calumnias excute interim, quæ abſque periculo excuti poſſunt, reliqua intacta tempori diluenda relinque. Quamvis enim, quod aſſeris, delictum tempori relictum, eorum de quibus accuſaris ſit caput, nullomodo tamen veritati revelandæ vacandum, ſi naturæ, vel legis præſcripto ſilentii debito ligaris. Interim à cæteris ſcripto, vel voce tuam vindicans dignitatem, calumniatores in malæ fidei præjudicium impingent, quò obliquè dubitent æqui Judices etiam de iis, de quibus nec loqueris, nec ſcribis. Cæterùm omnium quorumcumq; paratus ſis optimam rationem reddere, cum per tempus abſq; majori periculo licebit. LIBERIUS. Facillimè cum opportunum fuerit præſtabo, ſi quid enim ingra-
tum

tum in hac re experior, ipſa eſt mora ſilentii, quam ratio ſuadet, cui cuncta regenda tradidi. Reliquum nunc eſt ut videamus quouſq; progredi debeam reliqua diluens. Nec enim fieri poteſt, quin crimina impacta excutiens, calumnias in caput Calumniatorum vertam. Cum porrò mendacia oſtendero, ac inſana pſeudopolitices commenta eſſe cætera, quæ impudenter effutivere maleſani homines procul dubio eorundem officiam dignitati. Idne licebit? ANGELIUS. Herclè ad impeditum Orationis locum devenimus. Facilè tamen ipſe Dædali conſilium ſequeris inter utrumque pergens periculum; ità ut nec in amorem hoſti debitum, nec in dignitatis tuæ curam pecces, ſi animadvertes tibi neceſſitate tantummodò coacto licere actuum tuorum integritatem probare, cum id fieri nequit, quin Maleſano larua detrahatur, nec ſuppetat mōdeſtior Via. Primò autem cum ſilentium dignitati tuæ non officit, ſilendum eſt tibi; cum verò ex ipſo quòd taceas, impactæ calumniæ apud probos Viros, quibus præconceptæ opiniones imponunt, radices agunt, tunc

vera

vera loqui non modò potes, ſed debes. Illa tamen promenda ſunt tantùm, quæ abſq; dignitatis tuæ jactura ſileri nequeunt, cætera hoſtem lædentia ſunt ommitenda, licèt vera, licèt talia, quæ illum in malæ fidei præjudicium cogerent. Crimina refellere tamquam honeſtum commendatur; recriminari damnatur. Pura itaq; Facti ſeries exponenda abſq; conviciis, abſq; contumelia, abſq; ſarcaſmo; mos enim huic oppoſitus adminiculatur ei, qui juſtitia cauſæ ſuæ deſtituitur, ac ideò ſontem arguit; qui autem integritate fulcitur, adminiculo hujuſmodi non eget, quo cauſam dignitatis ſuæ, non adjuvet, ſed conficiat. Si qua autem, per nefas ab eo, qui dignitatem læſit, admiſſa, ità argumento nectuntur, ut ſeparari nequeant, ità ſunt exponenda, ut à Judice agendo abſtineas, ac in iis modeſtia quammaximè utaris. Cæterùm cum fieri non poſſit, quin mendacium promas, veritatem promens; ipſi conſequens infamia imputanda, qui mendacium in vulgus protulit abſq; pudore. Aliàs nulla dignitatis curandæ Via ſuppeteret, cum unum ex altero neceſſario ſequatur.

LIBE-

LIBERIUS. Hanc denſenſionis methodum qui ſequuntur non omni tamen periculo infamiæ vacant, etenim, cum quod precipuum erat in cauſa ritè à calumniis eſt vindicatum, ità ut nil regeri poſſit, tunc demùm duplici ex capite accuſantur. Primùm quòd ſolemniter nimis rex acta ſit, quæ poterat diſſimulati; ſecundùm quòd ex animi pervicacia egerit, qui actuum ſuorum ſcripſit apologiam. Hæc paſſim Sycophantarum ſolatia, cum Veritatis fidiculis ægrè torquentur. ANGELIUS. Ætiopem citiùs laves, quam hujus farinæ hominibus os occludas. Quid tibi obeſt, ſi fugillati loquuntur, ac denuò produnt? dignoſcuntur. Sint ſibimetipſis ſolatio: quid tibi negotii ex eorum gaudio? ſufficit cum nova ipſorum dicteria imponunt amplius Probo nulli. Nec imponent certè, ſi quæ patienter toleranda fuerant, toleraveris, & neceſſitate coactus, modeſtè, dignitatem ipſe tuam curaveris. Norunt qui ſapiunt (apud quos tantùm Cauſam egeris) quid diſcriminis ſit inter Conſtantiam, ac Pervicaciam. Pervicax enim, qui abſurda, qui falſa; conſtans

verò

verò qui bona, qui vera defendit. LIBERIUS. Si quid ergo regeſſerint, denuò ne dignitatis curandæ onus, incumbet? ANGELIUS. Minimè. Etenim ſi vetera proferent nullam fidem nanciſcentur; ſi nova, veterum impudentia, te tacentem defendet. LIBERIUS. Omnia tandem ad argumentum ſpectantia aptè explicaſti Pater. Novi quæ verè dignitatem conſtituunt, quouſque de ipſius jactura dolendum, quibus mediis, quaque animi moderatione, ipſam lædenti occurrendum ſit, & cætera, quibus ad rationalem fœlicitatem erudiar, quatenus natura dignitatem tueri jubet. Ne latum quidem unguem à præſcripto recedam. Quod verò præcipuum in hac re eſt caput, intrinſecam dignitatis rationem, actus videlicèt meos in primis curabo, ne quando de ipſius jactura dolendum ſit. ANGELIUS. Gaudeo quòd è re tua diſſeruerim. Ne quid tamen inſtitutioni tuæ deſit, pro coronide eorum omnium, quæ pertractavimus, de nonnullis te breviter admonitum volo. Præcipuum illud eſt, magno ſæpè periculo vos decipi, qui putatis veſtra univerſorum oculos,

aures,

aures, menteſq; adeò perſtringere, ut, cum pro rerum humanarum conditione fœlix, nefauſtumve quodpiam vos tangit, nil aliud cuncti cogitent, vel loquantur, quam vos. Quouſq; ſenes, pueris comparabimini? Hi ſiquidem cum proceſſuri ſunt recenti prætexta induti, ità ſibi plaudunt, ac ſi ea die cunctorum una foret cura venuſtulum, belle comptulum intueri. Quot putas calumniarum tibi impactarum aliquid cogitare? ſi rem intimè, ac prout eſt, judices, perpauci. Etenim pleriq; de iis nec verbum audivere, alii majoribus diſtrahuntur, quàm quid de te agatur, curent. Tu interim ità afficeris, ac ſi omnes te unum cogitarent. Eorum, verò, qui hæc noverunt, quot erunt, qui calumniis fidem adhibeant? perpauci item. Itaq; rem ſeriò age. Amicos conſule, qui nullo amore, vel odio ducantur; ità fiet ut vix à recta dignitatis tuæ tuendæ methodo, recedas. Aliud, de quo te admonitum volo, illud porrò eſt, ſæpè vos triſtari, ubi ingentis lætitiæ cauſa ſuppetit. Iis, qui gloriam anhelant, nulla aptior via, ſi gloriam rectè factis promeruere, ut voti fiant

com-

compotes, quàm quod calumniis imperantur. Nunquam licet cuiquam ſui laudibus vacare; ſe verò tutari quandoq; tenetur quiſque. Hinc decora in publicam lucem evadent, quæ non laceſſita calumniis delituiſſent. Verùm hæc infirmi animi, & ad Sapientiæ normam minimè compoſiti, ſint ſolatia. Tu Virtutem ſequere Virtutis amore, paratus ſequi etiam per maledictorum abrupta, & per ſalebras injuriarum. Lex, qua dignitatem curare adſtringeris, ità demùm colenda, ut nec animi moderationi officiat, nec te in gloriolæ amorem alliciat. Stultus audies, ſi apud Vulgus, virtute gloriam aucuperis, alia toto Cœlo oppoſita progrediendum eſſet. Nunc Virtuti tantùm vacandum, ideoq; procedendum eſt media inter utrumq; extremum ſemita. Peccat qui ſe demittit, peccat qui gloriam petit. *Is* benè agit, qui dignitatem ità curat, ut Virtutem omnibus præferat.

His *dictis*, cum ad multam noctem protractus foret ſermo, ſopor paulatim Liberium cepit, qui eo obrepente Angelium abeuntem non ſenſit.

DE

DE AMORE
Ergà
REMPUBLICAM.
DIALOGUS TERTIUS.
ANGELIUS. LIBERIUS.

EFfluxerat penè ſeptima dierum hebdomada, ex quo Liberius optimo Patrono ſuo deducente Patriam, Lareſque reliquerat. Languor paulatim, ut in chronicis ſolet, deſidebat, procul cum æger viveret à ſævo ſuorum contubernio, qui ſibi Vitam, ac Dignitatem in diſcrimen adegerant. Alia Reipublicæ ejus, quò venerat, facies. Nitida omnia, ac ad ſanctitatem compoſita. Animi Contubernalium ſinceri, concordes, candidi. Magiſtratus inprimis ad præſcriptum legum noſtrarum vivens, & moderans cuncta. Quanta Diſciplinarum, ac Sacrorum cura? quanta in Œconomicis rebus ſedulitas? Eximius porrò in Viro, qui primas ferebat, quique Liberium ab hoſtium manibus vindicaverat, amor ergà familiam, ergà ſubditos, ergà ſuos:

horum viceverſa maxima ergà ipſum reverentia, quæ juſſa facere dictaret non timoris, ſed rectè potius agendi cauſa, ac amoris amori repenſi argumento. Omnes quotquot aderant ità ad pietatem, ad candorem animi compoſiti, ut Magiſtratui apti eſſent. Nimius ſim ſi cuncta referam humanitatis, ac hoſpitalitatis officia in Liberium collata. Solari animo ægrum, fovere valetudine laborantem, adeſſe turmatim operam, conſilium exhibentes. Quantò igitur ſævior procella præceſſerat, tantò fœlicior Portus, quem Is humaniſſimo Viro ſoſpitatore nactus fuerat. Interim ſua ad Angelii præſcriptum caſtigans, pleraque pro voto ab eodem prædicta accidebant; Fœlici omine ex objectis, quæ apud probos Viros rerum ignaros poterant ſuæ dignitati officere, ſelectis nunullis magni ponderis capitibus, quibus repetundarum actione iniquè accuſabatur, ſcripto, ac facti ſincera ſerie ità diluerat, ut in malæ fidei procatagnoſim accuſatores collocaſſet, qui ad palinodiam ſcripto firmandam adacti, ſæviori rabie excandeſcentes, non modò novis, fictiſque calumniis recri-

minati

minati ſunt, ſed acerbiorem in Amicos Liberii, qui reſidui erant, proſcriptionem inſtituere. De calumniis juxtà præſcriptum minùs quidem dolebat, quippe difficiliùs Probis futurum erat ut imponerent; reſervabat tamen in opportunius tempus ulteriorem actuum ſuorum recognitionem. Accidebant Amicorum penè ex univerſa Italia allatæ epiſtolæ, ob ea, quæ ipſi in eam diem acciderant, indignatione plenæ, nec non Virorum tùm ſummis muneribus, tùm doctrina, & pietate conſpicuorum, ultronea officia ad abigendam omnem nominis, ſi opus fuiſſet, impactam labem. Verùm de Amicorum, & de patriæ Reipublicæ damno, haud dolere, non poterat. Id unum omnem felle inficiebat dulcedinem, ex philoſophica meditatione, ac è preſenti tranquillitatis Portu, comparatam. Ea ipſa, quibus de cæterò ſolari debuiſſet, objiciebant triſtem relictæ Reipublicæ faciem, & mœroris argumenta præſtabant. Reminiſci, morum honeſtatem, tandiù viguiſſe, qualem ibi ſpectabat, tunc verò in libidines evaſiſſe, quæ dedecus ipſum rubore ſuffunderent. Ibi Numen, ac

Tem-

Templa frequenti pietate culta, illic ſolitudine profanata; ibi in ediſcendis optimis diſciplinis ſedulitas, illic Accademia Auctoribus deſtituta; ibi decens familiaris Rei cura, illic ſordida avaritia, ac in rebus ſanctiſſimis quæſtus; ibi candida, ac innocens veritas, illìc impudentiſſima mendacia. Recolebat quidem mala hujuſmodi licèt graviſſima à ſua voluntate non pependiſſe, immò ſe ne acciderent, incaſsùm laboraſſe, nec ſemet ex mœrore meliorem fieri; at impium nimis videbatur de conclamata publica felicitate non dolere tot ſudoribus, laboriſque comparata. Vulneris hujuſmodi impatiens, cum die quadam animi ægritudini ſe ſe dediſſet, avia Nemoris cujuſdam, haud procul ab hoſpitali Lare diſſiti, petivit, & ſolus ibi Arborum confertorum tenebroſa quæritans, tandem ad amœnum ſatis terræ tumulum herbis, floribuſque luxuriantem, pervenit, ubi extrà ſe à moleſto pathemate veluti raptus, recubuit. Vix dexteræ Caput reclinaverat cogitabundum, cum ſe Liberii nomine vocatum ſenſit. Reſpiciens ſubito terrore correptus, ſuper

per idem terræ ageſtum, Angelium ſedentem vidit. Horrore in incredibile gaudium commutato, aſſurgens, Viro, tot ex capitibus venerabili, & qui ſibi difficillimo in diſcrimine opem tuliſſet, quique fortè præſenti in mœrore ſubſidio foret, de genibus obſequii exhibuit officia. Illo inde jubente denuò cum reſediſſet, in hunc modum effatus eſt. LIBERIUS. Quòd fauſtum, fœlixque ſit fidem tuam liberaturus adveniſti optime Pater, qua nonnullis ab hinc hebdomadibus promiſeras poſtremam mœroris mei cauſam te remoturum ea rationum energia, qua reliquis occurriſti. Opportunum herclè ſubſidium; quod utinam citiùs præſtitiſſes, ne tandiù ob communem rerum noſtrarum cladem, triſtarer. En me ſub tali pondere ægrè fatiſcentem. Damna illata, dignitas malè habita, cætera quoque me ullo modo prementia, vix curo. At quomodo non doleam de Reipublicæ, Amicorumque lacrymabili jactura, non video. Adveniunt de rebus quotidie in pejus ruentibus frequentes nuntii, quibus ulcus refricatur noſtrum, actis interea in varia loca optimis Viris,
colle-

colle&ciſque in unum, qui morum honeſtatem, ac ordinem peſſum habeant. His peſſimis artibus turbida turbidis miſcens ſæva exteri hominis pſeudo-politices, Magiſtratu potiri meditatur, imponens cæcæ in nos turbæ, quæ dummodò de periculo noſtro lætetur, proprium non videt. Quod me magis angit illud eſt, artes hujuſmodi uſque cum cæptæ ſunt adhiberi mihi innotuiſſe, & cum apta malis medela afferri potuiſſet, non licuiſſe, ob noſtrorum in nos, ac in ſemetipſos furorem. Euh Pater quodnam tot, ac tantis malis remedium? ANGELIUS. Bono ſis animo Liberi. Triſtitiam animi tui illiberalem rationibus curavimus, curabimus & liberalem. Primò tamen id à te velim, ut adeò certi ſimus de iſta generoſitate doloris tui, ut nihil de ipſa remaneat dubii: licèt enim te noverim deſpiciendis honoribus comparatum; malum tamen ambitus ſecretè adeò intima pervadit, ut quandoq; ab ipſo ægro non dignoſcatur. Magno de cæterò periculo erraremus morbum pro morbo curantes, ſi cum tibi pro Republica dolere videris, pro te ipſo doleres.

leres. LIBERIUS. Ergonè arbitraris id occultè adeò irrepere, ut falli poſſim? ANGELIUS. Profectò eſt enim perquàm ſecretum philautiæ venenum, quod per fibrarum Vias ad vitæ rationalis ſedem, veluti per cuniculos permeat. Nec tantùm de honore ablato dolere potes, itaut arbitreris de publica jactura dolere, ſed etiam de omnibus iis de quibus dudum non eſſe dolendum ſtatuimus. Conſultò diſtuli uſque in hanc diem tibi de hac re quidquam loqui, quòd cum precognoſcerem fore ut tecum hic benè ageretur, & ea pace ac otio frueteris, quæ nunquam in natali ſolo aſſecutus fuiſſes, ſimiliter ut uſque adeò dignitati occurreres, ut optimo ipſam loco poneres; magno argumento id mihi futurum erat, commoda, ſi quæ erant, ablata, ac dignitatis periculum, id non eſſe, propter quod doleres. LIBERIUS. Ut meliùs mentem, animumque meum aſſequaris, audi quid in hac re ſentiam. Nil herclè recondam; ut quid enim medelam expeterem vulneri, quod occulerem? Primò itaquè illud mihi compertum videtur genus hominum, qui

de Reipublicæ damnis non dolent; utplurimùm de eiſdem lætari, ac ejuſdem Reipublicæ incommodis abuti, ad explendam affectuum ſuorum ataxiam. Utuntur enim illa tamquam Scorto, & agunt quod, qui caſtæ, ac honeſtæ Uxori, Pellicem præferunt. Eorum impudentiſſima vox: quid mea illud, vel illud intereſt? Vivamus. Vix inter hujuſmodi homines quemquam invenies frugi. Satiùs igitur ex hoc capite viſum eſt è cenſu eorum deleri, licèt & in altero ſcribi philautiæ periculo non vacet. Ut quid enim Mare ingrediamur Syrtibus, procelliſque plenum, undè neminem ſalva rate novimus evaſiſſe, ſi aliò progredi poſſumus, licèt non ab omni periculo immunes? Qui verò de Reipublicæ incommodis dolent nullatenus arbitror omni poſſe carere philautia; verùm crediderim nec omnem philautiam vitioſam eſſe; etenim quì fieri poteſt, ut mea curem (mea autem ſunt quæ ad Rempublicam ſpectant) niſi meipſum amem? illud curandum veruntamen, ne amor hic ſit præpoſterus, ſed ut rationi congruat; quod, pro argumenti materia, in eo potiſ-

potiſſimùm ſiſtit, ut ordinem ſervet & modum, ac nil rationi admittat diſſonum. Quarè cum à ratione abhorreat, ut quis commoda ſua Reipublicæ bono præferat, præpoſtero amore ſui laborabit, qui paratus non ſit, proprio etiam damno à Republica malum avertere; Is verò ſanctè ſemetipſum diliget, qui rationis normæ congruat, dictantis publicum commodum, privato præferendum eſſe. Ex eodem etiam capite arbitror præpoſtera philautia me laboraturum, qui tunc demùm de communi malo dolerem, cum ſpes eſſet, remedium è re mea futurum fore, aliàs nil de remedio hujuſmodi cogitaturus, ſi perinde mihi proſpici poſſe cognoſcerem. Nullus dubito quin hoc ſpiritu ductus, intimè ambitus crimine etiam damnandus eſſem; conſequens enim foret ut cogitarem uno tantummodò medio aras, focoſq; ſartos, ac tectos futuros ſi me moderatorem ſortirentur. Tunc verò tandiù Rempublicam cladibus affectam lamentarer, perversè acta perſtringerem, de morum ataxia conquererer, quouſq; Clavo applicarer moderando, tunc enim nec immanes ſcopulos vi-

derem, qui anteà de exiguo arenæ fruſtulo timuiſſem. Perverſi moris homines fugerem, quandiu hi ad Magiſtratum obtinendum quidquam conferre nequirent, quod ſi è re mea quandoq; ipſos laudare, venerari, colere; immutatis moribus, hæc omnia à memetipſo, qui mox accuſaveram, conſequerentur. Placeret mihi morum frugalitas, ſed in aliis; placeret ſacrorum frequens cultus, ſed qui ab aliis exhiberetur; placeret labor, ac ſedula in publicum bonum opera, ſed quæ præſtaretur ab aliis; placeret honorum, & Graduum contemptus, ſed in cæteris? omnia demùm quæ optima, quæ ſancta, quæ ad communem fœlicitatem ſpectarent, placerent, ſed quæ cæteri cives ſequerentur, ac ſolerti animi cura compararent; ipſe interea me abſolutum ab eodem debito putarem, nec communibus patriis legibus teneri. Igitur ſentio, qui de Reipublicæ jactura dolet, procul abeſſe debere cupiditatibus potiſſimùm illis, quibus ob Magiſtratus ſpeciem difficillimum eſt non teneri; ac ſimul paratum eſſe actus quoſcumq; ſuos cenſori præ aliis ſubiicere, ut,

ſi quidem opus ſit, corrigantur. Cæterùm Vitia etiam in amicis, (quantò magis in ſemetipſo?] cognoſcere debet, qui benè de Reipublicæ incommodis dolet; virtutem verò, & in hoſte laudare. Ità comparatus, cum de communi clade dolebit, faciet quod pes vel brachium laborans corpore univerſo ægrotante. Porrò ſola putrida, ac reſecanda Corporis membra, morbum non ſentiunt. Proinde dolor hujuſmodi dolentem quidem reſpicit, cum ideò doleat, quòd infirmæ Reipublicæ ſit membrum; at ob hanc philautiæ ſpeciem, quis jure dolenti ſuccenſeat? Illud tantùm curandum eſt, ut ſi poſſit à Republica malum averti, abſq; eo quod ſingularia incommoda ab eo, qui dolet removeantur, gaudeat de communi incolumitate, at ipſe animo generoſo, liberaliq; privata incommoda fortiter ferat. Hinc fiet, ut cum de publico malo dolebit, honeſtas doloris hujus aliquo modo proficiet ad peculiaris doloris imperfectionem ſanandam; nec enim de proprio malo triſtabitur, niſi quatenus à Reipublicæ malo eſt inſeparabile. Nunc Pater quid de his ſen-

 tias

tias expecto, nec enim docentis ſunt, ſed animi ſui ſenſus coràm Magiſtro explicantis. ANGELIUS. Ex his, quæ protuliſti alia meo calculo probantur, alia diligentiori examine caſtigabimus. Etenim quòd impoſſibile ſit nos omni philautia carere, ultro ac libens do; quamvis ſuſpectum hujuſmodi nomen plerumque in malam partem uſurpetur, ac ſi de vocibus anxios nos eſſe deceret, qui rerum ſubſtantias quærimus, aliam vocem mutuari præſtaret; quæ probum ſuimetipſius amorem indicaret. Noſtra porrò philoſophia in id potiſſimùm nititur, ut veri boni compotes ſimus. Probè interim ſordidiſſimæ philautiæ deputaſti, ideò de Reipublicæ incommodis dolere, quòd remedia quæſita, gradus, honoreſue, dolenti fortè ſuppeditabunt, & de illis conqueri paſſim, quandiù per hujuſmodi Threnos proficitur. Ex bonorum Civium Cenſu, hæc proſus expungenda ſunt, ſuperbiæ, ac ambitionis mancipia; at potiori jure proſcribi merentur, qui, quæ deteſtantur in aliis, vitia in ſeipſis admittunt. Lætor te ità comparatum, ut ſi quid Cenſore dignum admiſeris, cenſuram

non

non modò non detrectes, ſed expectas. Notis hujuſmodi in id devenimus, quod quærebam; novi enim per eas dolorem tuum minimè illiberalem ſed generoſum, & qui proinde curetur faciliùs. Nunc quod totius rei eſt cardo abs te ommiſſum cognoſcas velim. Etenim toto cœlo differunt, dolere de Reipublicæ incommodis, & Reipublicæ incommodis opitulari. Agnoſciſne diſcrimen hocce? LIBERIUS. Agnoſco. ANGELIUS. Nunc ſcias, Optimum quidem Civem obſtringi ergà Rempublicam amore, quo, & ſuo etiam periculo, occurrat communi malo, ſecùs, quo doleat de Reipublicæ ejuſdem incommodis; utrumque enim ex rationis præſcripto dictatur. LIBERIUS. Papaè quid ex te audio? Itaq; nec de ingenti Reipublicæ malo Sapiens triſtabitur? ANGELIUS. Nullus LIBERIUS. Nec de communi publici nominis jactura, nec de amicorum periculo, nec de ſacrorum cultu malè habito, nec de bonarum Artinm ſtudio peſſundato? ANGELIUS. Nec de iis, nec quibuslibet aliis. LIBERIUS. Etſi Patrum noſtrorum ſudoribus, ac con-

ſtanti rectè factorum ſerie fœlicitas Reipublicæ ſit parta, ac ipſe etiam aliquid pro viribus contulerit eidem ſervandæ, & promovendæ? ANGELIUS. Ità prorſus. LIBERIUS. Nil herclè tale ex te me auditurum crediddiſſem. Dic tamen ſodes ut quid hoc ſentis? ANGELIUS. Dicam libenter. Veruntamen ex te prius ſcire velim an putes te ita peculiaris Reipublicæ membrum, ut etiam Orbis totius, ac ingentis ejus Civitatis non ſis, quam univerſum hominum genus conſtituit. Si ſapis, vera non inficiaberis; etenim rationalis Mundi pulcherrimus ordo nexum hujuſmodi neceſſariò requirit. Quod ad totam Rempublicam privata Domus, id eſt ad univerſum hominum genus privata Reſpublica. Tolle hunc nexum; tolles commercia cum exteris, ac diſſitis gentibus; quid tum reliquum Provinciæ, Regno, Urbi, Familiæ? Natura cum rationalem fecit, Orbis univerſi te Civem fecit. LIBERIUS. Non abnuo, Verùm nec tu negabis, ſpeciali, ac immediato nexu ex Numinis Providentia, me Reipublicæ illi addictum, cui vel ob genus, vel ob ele-

electionem nomen dedi. ANGELIUS. Equidem. At nonne nexu perquàm ſpeciali; ac immediato, magis te tibi, quàm Reipublicæ voluit addictum laudata Numinis Providentia? LIBERIUS. Nemo ulli proximior, quàm ſibi. ANGELIUS. Vel igitur dolere debes de malis, quæ te immediatè, petunt, pro quibus tamen haud dolendum diximus, vel neque de Reipublicæ incommodis. LIBERIUS. At Reipublicæ bonum privato eſt præferendum. ANGELIUS. Cur non etiam prætuleris totius humani generis incommoda privatæ Reipublicæ incommodis? Ità ſcilicet ad certam hominum collectionem ſe habet univerſa rationalis natura, ſicut certa hæc collectio ad temetipſum. LIBERIUS. Hæreo anceps. ANGELIUS. Nodum ut ſolvamus, operæ prætium eſt inſpicere, quanti ſit omnia ea, quæ ad Politicem pertinent, viciſſitudinibus agi. Quod ut clariùs pateat, non in anguſto rerum privatarum ſpatio, ſed in ampliſſimo Orbis totius ſyſtemate eſt contemplari: Putaſne abſq; faluberrimo Numinis conſilio Regna omnia ſuas periodos perpeti? Ex alterius rui-

na naſcitur alter; hocce in varia membra diſcerptum, poſtquam ad ſtatutam amplitudinem crevit, dehiſcit; illud ex multiplici, ac indigeſta hominum colluvie coaleſcit, indè paulatim alteri exorienti, decremento ſuo, exordia præſtat. Ex tot Reipublicæ regendæ formis, nullam invenies, quæ temporis progreſſu non vitietur, ac in alteram non evadat, quæ quandiù certis finibus continetur optimè vigeat, amplificatis verò dominii finibus, pondere non ruat ſuo. Horum omnium conſtans viciſſitudo oſtendit, illa quæ bona, vel mala ſunt privato cuilibet Regno, Orbis totius abſolutè bona eſſe. Accidit ſiquidem in politicis, quod in phyſicis, dum ſingulorum corruptio, ac generatio univerſo rerum ſyſtemati præſtat, ut vigeat. Arcana numinis Conſilia temerario auſu conaremur rimari, ſi bona, quæ tota rationalis Politices ex viciſſitudine nanciſcitur, nobis cognoſcibilia arbitraremur; veruntamen unum eorum obvium adeò, ac per ſe patens, ut nequeat diſſimulari. Etenim quæ univerſi politici Orbis facies, ſi Regnorum ità fines, ac res circumſcriptæ

eſſent,

eſſent, ut nullo modo, vel tempore mutari poſſent? Artes, commercia, conſilia, literæ deſtituta acri ſtimulo amplificandæ publicæ, ac privatæ rei, quo promoventur, nonne languerent? Quodnam miſeris, egeniſque ſolatium, quodnam oppreſſis, ac malè habitis, quodnam cæteris omnibus, quibus ex Urna niger calculus obtigiſſet? Ex hujuſmodi miſeriarum cæno emergendi nulla ſpes reliqua, cum omnia immutabili, ac perpetuo ſtatu perſiſterent. Putaſne Præpotentium Vota fore modeſtiæ limitibus coercita, quæ aſſiduis quamvis viciſſitudinum periculis de ea re admonita, plerùmque vix continentur? Elige nunc præ mutabili politico rerum ſtatu immutabilem, nec viciſſitudinibus ſubditum, ſi lubet. LIBERIUS. Abſit. Agnoſco ſummi Numinis ſapiens conſilium. Optimam fateor univerſo rerum Ordini viciſſitudinem. Dic ergo quæ ſunt reliqua, ingenti ſiquidem perfundor lumine. ANGELIUS. Bonum itaquè hujuſmodi quì fiet, ut univerſo accidat Orbi, quin partibus ejuſdem contingat quoque? LIBERIUS. Planè repugnat. AN-

GELIUS. Igitur ſingulis accidat oportet, quod toti accidit. LIBERIUS. Ità. ANGELIUS. Quòd ſi non acciderer, pejora mala ſingulis Populis, ac cuilibet Provinciæ preſtò eſſent. LIBERIUS. Utique. ANGELIUS. igitur ſi Rerumpublicarum viciſſitudo mala eſt, cum bono univerſali, ac peculiari ſit inprimis neceſſaria, erit malum melius bono, ac de quo proinde non doleas. LIBERIUS. Videſis Angeli ne ultrà, quam velis argumenti vires extendas. Etenim ſi rerum viciſſitudo univerſæ rationali naturæ,ac ſingulis Rebuspublicis bona, immò neceſſaria eſt, ità quod Sapienti de illa non ſit dolendum, nec ſi ſapimus triſtari debeamus de malis etiam ingentibus Patriæ, Reipublicæ, domus; videtur illud neceſſariò conſequi, ut neque de illis tollendis ſit cogitandum. Ut quid verò amorem ergà Rempublicam indidit nobis natura? Id ne dabis tu, qui in avertendis à Republica ærumnis totus fuiſti, quique tui penè oblitus, ut publicæ dignitati conſuleres, tua ſæpe in diſcrimen adigere non timuiſti? ANGELIUS. Nil horum ex præmiſſis,

immò

immò contrarium evincitur. Sapiens ne audies, ſi quòd rerum phyſicarum viciſſitudo naturæ ſtatum ſervat, ac magno ipſius bono ſequitur, undè dolere non debemus de obitu noſtrorum, vel noſtro; ideò nec de tollendo morbo recogites? Nequaquam. Idem hic agitur. Rerum viciſſitudo univerſæ rationali naturæ eſt bona, propterea de ipſa non triſtatur ſapiens, impiè tamen ab impendenda cura, qua Reipublicæ opituletur, ceſſabit. Nonne audiſti viciſſitudinis ejus, à Numinis Providentia expetitum bonum eſſe, ut ſpes vigeat afflictis rebus, quæ actus cedro dignos promoveat, timor, qui impios, ſi quando prevalent, aliquo modo contineat? In hanc rem ſingulos ità comparavit Natura, ut cum de Reipublicæ periculo agitur, nullos labores, nulla diſcrimina detrectent, & cum ab auxilio præſtando ceſſant, conſcientia teſte, impietatis accuſentur. Prodeſſe itaquè Reipublicæ tenemur, de ipſius malis dolere nequaquam. Ejus rei alia item ratio patet, quod opera præſtita adjumento eſſe poteſt, dolor exhibitus nunquam proderit. Domus deci-

decidit, ac laquearia ſtridens mox mox ruitura, ſi quis ſubſtructione providè occurrat, nonne muneri reſpondebit ſuo, licèt nec clamores ingeminet, nec lacrymas fundat? Qui de publicis ærumnis dolet in id dolorem videtur intendere, ut neceſſariam rerum viciſſitudinem tollat, quod eſt inſipiens; qui verò quantùm valet in avertendis publicis ærumnis laborat, viciſſitudini morem gerit, cum ſi res minimè voto cedat, paratus ſit eandem æquo animo pati. LIBERIUS. Res tandem eò deducta eſt, ut rationibus aquieſcam tuis, ac dolorem è pectore excutere ſtatuam. Quod licèt ob præconceptam opinionem ægrè præſtem, attamen non diffiteor ſeria præceptorum meditatione effecturum. Proderit nihilominus de hocce Reipublicæ curandæ debito differere; ſiquidem fiet, ut dignoſcam ſatiùs eſſe animos, vireſque intendere in procurandis publicis calamitatibus remediis, quàm dolendo, inutili mœrore tabeſcere. Veruntamen debitum hujuſmodi quibus ex cauſis naſcatur libenter audiam; alacres enim facit ad penſum operis præſtandum, reſci-

reſcire quàm ſcitè, & cur ſit nobis impoſitum. ANGELIUS. Illud primò tùm ex dictis, tùm ex rerum natura certum habere te jubeo, omnia quæ ad univerſam Politicen pertinent, ex contrariis, ſicut in phyſicis accidit, conſtare. Abſque ea pugna, qua nexus humanæ ſocietatis componitur, nulla Civitas, nulla Reſpublica pulcherrimo ordine frueretur, ſed cuncta in aliam rerum faciem abirent, quam nec animo concipiamus. Hinc tanta Ingeniorum differentia, ob quam, ſententiarum diverſitate, homines in varia, ac oppoſita rapiuntur vota. Huic provida obſtetricata eſt Natura, cum rationales animos diſparis temperamenti Corporibus univit, quæ phyſicam humorum inter ſe diſcrepantium pugnam, in ipſius ſpiritualis principii affectiones refunderet. Proinde alterum videre eſt, per audax conſilium, omne quod bonum putat, molientem; alterum per pertinacem, ac ſeriam penſitationem; hunc ferocem, pavidum illum; ſingulos autem diverſo adeò inſtinctu ferri, ut impoſſibile ſit binos invenire, quorum ſententiæ plenè, ac per omnia

con-

conveniant. Hinc rerum humanarum viciſſitudo, de qua nunc ſermo. Quæ quidem cum rationalis ſit, non modò reſpectu Numinis, qui novit cuncta cur fiant, ſed etiam reſpectu ſingulorum (aliàs agens ratione preditum, vix ab irrationali diferret) indidiſſe debuerat unicuique noſtrûm natura ingenium hujuſmodi, quo ſinguli actuum ſuorum certum finem ſtatuerent, licèt ad ipſum ſinguli tenderent oppoſitis votis. Tot verò agendorum fines eſſe debebant, quot ſunt noſtrûm ipſorum principia, unumquodque enim in id tendit, undè proceſſit. Duplex itaquè cum ſit principium hujuſmodi, unum quo ſumus, aliud civile, quo aptè vivimus, rurſus, cum naturale dividatur in primum, ſcilicet Deum Opt. Max. per quem ſunt omnia, & ſecundum, videlicet phyſicam noſtram conſtitutionem, per quam phyſicè exiſtimus, ac ſimiliter civile aliud ſit primum, univerſa videlicet Rationalium collectio, ac ſecundum, ideſt ſpecialis illa, cui per natale ſolum, ſeù per electionem, inſtitutionem morum debemus, hinc ſit ut omnes hominum affectiones ex natu-

naturali inſtinctu, ad hæc principia dirigantur. Indè politicus nexus, qui aliàs vix à puro phyſico diferret, rationalis, evadit. LIBERIUS. Ut video affectiones humanæ, quatenus ad Politicen pertinent, oppoſitis præſtandis comparantur. Ex eorum etenim diſcrepantia, rerum oritur viciſſitudo, cum tamen ex ſe ad ſui principii perpetuitatem videantur ordinari. Id quomodo fiat dicere ne gtaveris, enixè precor. ANGELIUS. Inſpice Autcma horis dimetiendis comparatum. In quo omnia organa ità ſunt invicem ordinata, ut alia motu ſuo ſtyli motum promoveant, alia ut remorentur, itaut cuncta à principe Elatere in motu dependeant. Ordo hæc omnia ſicut in automate, ſic & in univerſi Orbis politia præſtat. Elateris principis loco Numen exiſtit; ad quod propterea omnia diriguntur, per quod vivunt, moventur, ac ſunt, Singulorum phyſicum principium ſequitur, à quo immediatè agimur. Hoc verò diverſimodè remorantur principia civile primum, ac ſecundum, ad quæ quod agimus, politicè diſponimus, Quò verò intimè noſcas id omne,

quod

quod movendo, vel promovet, vel remoratur civile automa, ex ordine, quo movetur, pendere, ordinem ipſum seriò meditemur. Ex ſingulis ratione utentibus, unuſquiſq; Reipublicæ bona ità curare debet, ut illa privatis præferat. Videſne citiſſimum motum, quo quiſque in principium civile ſecundum fertur? Hinc cum operæ pretium eſt, ſua, Vitamque ipſam in diſcrimen adigere tenetur, ut Reipublicæ opem præbeat. Verùm in hujuſmodi motu temperatur, cum in ipſo diſcrimine, ob publicum bonum inito, ſibimetipſi proſpicere teneatur, nec etiamſi proſit Reipublicæ, ſibi mortem conſciſcere licitè poſſit. Principium igitur naturale ſecundum motum priorem remoratur (ommitto de Principio naturali primo plura addere, cum per ſe pateat, quod dici poſſet.) Omnia item eo ordine ſunt in Republica diſponenda, ut ad univerſale totius rationalis Orbis bonum, diſponantur; ſocietas enim univerſorum præfertur, cuicumque privato ſingularum Rerumpublicarum bono, ita quod in diſcrimen potiùs iſtud abire debeat, quàm illa. Ità ſingula pri-

privatæ Reipublicæ membra in principium civile primum feruntur motu velociſſimo, ſed ab altero, quo feruntur in Rempublicam temperantur; in ipſo enim Reipublicæ diſcrimine, cum opus fuit inito ob univerſale bonum, ut puta, cum fœdera belli feriuntur inter plures Reſpublicas, unuſquiſque tenetur, privatæ Reipublicæ incolumitati proſpicere. Vides nunc pulcherrimum rationalis Automatis ordinem. Vides qui fiat ut rationalis ſingulorum affectiones ad oppoſita præſtanda comparentur. Vides ex quibuſnam principiis, amoris ergà Rempublicam debitum, proficiſcatur. LIBERIUS. Omnia ſatis aſſecutus ſum, & agnoſco quomodo ipſum rationale politicum Siſtema, etiam cum omnia ſuo ordine moventur, viciſſitudines parit. Porrò ſententiarum pugna, qua ſinguli ducuntur in eundum finem, novi quid conferat ad commune bonum, nec enim quæ ad ſupralaudata principia referuntur, unius ingenii ſunt. Verùm nonne ſæpius ordo præpoſterus, ex hac pugna prodit, quo cuncta ſusdeque volvutur? Cum ſinguli motu citiſſimo in princi-

pium

pium naturale ſecundum feruntur, ſua videlicet, præferunt, communi bono, nec principe elatere, ſeù motu in alia principia inſito, continentur, reliquum eſt ut cuncta in pejus ruant. Quid tùm boni ex hujuſmodi viciſſitudine? ANGELIUS. Bonum univerſali Principio civili, quatenus impoſſibile ſit aliquod corrumpi, niſi aliud naſcatur. Cum autem illud immediatè Numinis providentiæ ſit opus, quodnam futurum ſit ſingillatim diſquirere, eſſet incomprehenſibilia divinitatis conſilia irrito conatu rimari. LIBERIUS. Confert ne quidquam in publicum bonum hæc divini conſilii obſcuritas? ANGELIUS. Confert; nec enim ſingulos à motu debito propter civilia principia vacare ſinit, quod maximo univerſalis politiæ damno eſſet. Cum enim ignoremus, an hìc & nunc ſumma Numinis Providentia decreverit ex anomalia in Republica, aliud quodlibet bonum deducere, & quodnam illud ſit bonum; eodem motu agimur in Reipublicæ bonum præſens, & ejus reparandæ vel præſervandæ incumbimus; aliàs ſegni otio torperemus. LIBE-

RIUS.

RIUS. Anomaliæ igitur motuum eorum à præſtanda in bonum Reipublicæ opera nullum abſoluunt? ANGELIUS. Nullum. Debet ſiquidem quiſque cum Reſpublica viget, & omnia ſibi congruunt ea promovere, quæ ad ejuſdem fœlicitatem, amplitudinem, & dignitatem quoquomodo conferunt; quantò magis tenebitur ea removere, quæ in ipſius perniciem perdita malorum ingenia comminiſcuntur? LIBERIUS. Id adeò clarum eſt ut plura addere ſit ſuperfluum. A generaliſſima itaq; argumenti materie demùm deſcendere lubeat ad minùs generalia, ac potiſſimùm ad illa quæ praxim reſpiciunt, ut quid mihi agendum ſit pro rerum mearum circunſtantiis, dignoſcam. Quibus nam mediis cum Reſpublica periclitatur, penſum impoſitum mihi à rerum natura exequar? novi quod modum, in optimis cæteroquin procurandis ſæpiſſimè non ſervamus, unde accidit adverſis, ac nefaſtis avibus ſaniora conſilia frequenter peragi. ANGELIUS. Cum irrito conatu in cæteris omnibus bonum ſingulis rebus proprium quæratur, ſi ordo abſit; hic aprimè in Re-

publica

publica ſervandus eſt. Omnis enim politica anomalia ex eo accidit, quòd munera unicuiq; propria pervertantur. Pervertuntur autem non modò ex prava plurimorum voluntate, qui privata publicis præferunt, ſed etiam ex nimio Reipublicæ juvandæ ſtudio in his, qui quod fieri debeat, non verò an à ſe debeat fieri, recogitant. Difficillimum autem eſt, quæ cuique apta ſint media, ut ritè muneri reſpondeat ſuo, decernere, cum id ex unjuſcuiſque in Republica loco dependeat, ac etiam ex adjunctorum circunſtantiis, quibus quandoque à communi peragendorum regula, eſt exorbitandum. Illud in omnibus certò obſervandum, cuncta Reipublicæ membra non eodem modo ergà ipſam teneri licèt cuncta eodem debito teneantur. Qui primas gerit, cum ex ſubditorum actibus, vel ex alienigenarum, & exterorum conſiliis periculum imminet, præſtare omnia tenetur, quæ periculo occurrant. Modus ipſi à lege naturali ac divina præſcribitur, ac à Reipublicæ illius, quam moderatur. Ab his recedere nefas. Qui ex minorum gentium ſunt magiſtratu, anomalias ſuperiori

periori referant, quò opportunè publicæ incolumitati proſint. His denique, vel illi privati Cives pericula publica promant. LIBERIUS. Hæc omnia plana, ac facilia ſunt. Verùm quid agendum optimo Civi, cui majorum gentium Tribunal occluditur, vel cum ipſi quibus potiſſimùm prohibendæ publicæ cladis incumbit onus, in cauſa ſunt anomaliæ, vel decepti perverſorum conſilio, vel ad procurandam Provinciam minimè idonei? ANGELIUS. Cum ſeveriora remedia ex pleniori poteſtatis defectu, adhibere nequeat, primùm omnem lapidem movere debet, ut de veritate deceptos certiores faciat. LIBERIUS. Si nil proficiat? ANGELIUS. Agendum ipſi, quod inermis fœmina in Domus direptione aget, dum ipſe Laris cuſtos cum diripientibus, diripit, Clamet, periculum evulget, auxilium imploret. LIBERIUS. Magiſne id licebit Viro, qui in ipſo Magiſtratu fungantur munere, quod immediatè ad Reipublicæ incolumnitatem procurandam, ſpectet, ANGELIUS. Aptè loquere Liberi; id enim à muneris natura expetitur, & qui munere hujuſmodi

juſmodi fungitur debet præſtare, quod alteri fortaſis præſtare licet. LIBERIUS. At ſi à publicis Comitiis repellatur? ANGELIUS. Primùm de injuria muneri illata conqueri debet: inde quæ diximus preſtare, nec enim hoſtium cuniculi militem à ſtationis ſervandæ debito abſoluunt. LIBERIUS. Verùm ſi id effici nequeat abſque periculo; ut cum ad infirmanda Civis dicta, Reipublicæ hoſtis vana per nefas commenta comminiſcitur, quibus dignitas, vel Vita Civis in grave diſcrimen adigatur? ANGELIUS. Nec ſic abſolvetur. Quis jure de hocce dubitet? quoties nobis repetendum eſt illud, Reipublicæ bona, ſingulorum bonis eſſe præferenda? Magiſtratum adeptus, onere potius, quàm honore cæteris præſtat. Si pericula ab hoſtibus facta militem abſolvunt, quiſnam ſcribetur miles? Nemo fortiter Rempublicam tuebitur, quin in diſcrimen veniat. Primus Aries, quo ab impiis Salus impetitur publica, calumniæ ſunt, quibus ejus, qui ſubſidio ſit perditis rebus, dignitas traducitur, ne nominis optimi ope, vafritiei machinæ diſſipentur. LIBE-

RIUS.

RIUS. Cavebit ne quidquam, ad hæc præſtanda cæteroquin paratus? ANGELIUS. Nonnulla. Primò etenim malum imminens ex ingentibus eſſe debet. Cum ſiquidem vix fiat, ut à Republica etiam optimè comparata omnis abſit Anomalia, minùs rectè ageret, qui horariis, ut ità loquar, morbis, remedia decerneret, quæ in politico Corpore turbas valetudine pejores cierent. Plurima ſunt opportunè diſſimulanda, ac ea maximè, quæ, ad tempus durant nullo ſui veſtigio poſt ſe relicto; nec enim cuncta igne, ferrove curamus. Cum autem de ingentibus malis, iis potiſſimùm, ex quibus pejora ſucceſſivè nanſcuntur, agitur, in primis curandum ut ſi fieri poſſit, bona ex malis fiant. Accidit enim ſæpè, ut arma hoſtium, ad Reipublicæ incolumitatem proſint promovendam. Sapiet, qui cultro impetenti ut perimat, apoſtema obiiciet reſecandum, unde æger convaleſcat. Id verò ſi minimè ſperetur, quòd incaſsùm de hujuſmodi curatione ſit factum periculum; adhuc expectandum, donec per improbos ipſos mala patere

incipiant, ac probis imputari; tunc enim tandem detracta perſona in arenam eſt deſcendendum, & improbitatis arcana ſunt retegenda. LIBERIUS. Officietne Ordini abs te præſcripto ſi antequam ad præfatum rerum diffamatarum ſtatum deductum ſit Reipublicæ periculum, Civis adactus ad ratum habendum dicto vel ſcripto, quod veritati ac communi bono repugnat, reſiſtat, ac per id malè patrata condemnet? ANGELIUS. Minimè. Etenim quod anomaliæ retegantur iis imputari debet, qui Civem in id adigere nituntur, ut vel iniquè facta conſortio collaudet ſuo, vel repugnando plurimorum invidiam offendat. Hoc verò, præ illud ob amorem ergà Rempublicam debitum amplecti debet quiſque, quantò magis, qui muneris alicujus religione obſtringitur? LIBERIUS. Apud quos autem factorum ſeriem revelare licebit? ANGELIUS. Apud quoſcunque quibus vafrities impoſuit. LIBERIUS. Hi vero ſi mendacio potiùs, quam veritati litent? ANGELIUS. Ipſi viderint. LIBERIUS. His omnibus peractis, ſi nil proficiatur, ſed cuncta

peſsùm

peſsùm abeant, quid tandem agendum bono Civi? ANGELIUS. Numinis Providentiam ſequi, ne invitus trahatur. Conſcientia fruatur ſua, Reipublicæ verò optet meliora Fata Quæ parietur (gravia autem patiatur neceſsè eſt) libenti, & alacri ferat animo, paratus pejora perpeti, ſi Reipublicæ reparandæ, ullo modo conducat. LIBERIUS. Abſolvetur ne Is aliquando ab amore ergà Rempublicam? ANGELIUS. Nunquam. Indelebili amoris debito illi nos copulavit Natura. Obeuntem etiam diligere tenemur, nec enim eadem Animalium, ac Rerumpublicarum conditio. Hæ ſæpiſſimè & poſt Fata redeunt. Sperandum id à rerum omnium Moderatore Sanctiſſimo, qui cum conclamatum eſt, ſolet opitulari. Tu interim Liberi dilectiſſime æquo ſis animo. Reipublicæ vices patere, donec in ea ſcribaris, quæ nullas patitur. Dictorum amoris ergà te mei pignus accipe, quod ut eorum, quæ diſſeruimus reminiſcaris efficiet.

His dictis, cum Liberii digitum Anulo ſmaragdo illuſtri donaſſet, quo ipſe muneris nobiliſſimi ſigno quondam utebatur, oſculo dato, evanuit.

F I N I S.

Die 3. *Januarii* 1721.
REIMPRIMATUR

F. Joſeph Maria Galli Inquiſitor Gen. Parmæ.

Die 10. *Januarii* 1721.
REIMPRIMATUR

A. Gratianus Auditor, & ſpecialiter Delegatus pro Illuſtriſſimo D. Epiſcopo.

VIDIT
Laurentius Maſini Præſes Cameræ.

005676132
Digitized by Google